

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

CARYOPHILUS, P.
2 pts

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

VIII 5

https://archive.org/details/b30411828

LONDON MEDICAL SOCIETY

X
c. 31

DE THERMIS HERCULANIS

NUPER

IN DACIA DETECTIS

PASCHALIS CARYOPHILI

DISSERTATIO EPISTOLARIS

EDITIO II. POST VINDOBONENSEM

AN. MDCCXXXVII.

SECUNDIS CURIS AUCTA, ET EMENDATA.

PUBLICA AUCTORITATE EXCUDEBAT

MANTUAE AN. MDCCXXXIX.

Apud Typographiam S. Benedicti Haeres Alberti Pazzoni,
Archiducalis Impressor.

Sed tua me virtus tamen & inſperata voluptas
Suavis amicitiae longum perferre laborem
Suadet & inducit noctes vigilare ſerenas.

AD

EXCELLENTISSIMUM DOMINUM ANDREAM HAMILTONIUM,

S. R. IMP. COMITEM, CAESARIS A CUBICULO HONORARIO, EJUSQUE A SECRETIORIBUS, ET A BELLICIS AULICIS CONSILIIS, COHORTIS PRAETORIAE IMPERATORI APPARENTIS CENTURIONEM, EQUITUM LORICATORUM ALAE PRAEFECTUM,

LEG. AUG. PR. PR.

PROVINCIAE TEMESVENSIS.

QUum Tibi, Vir Excellentiſſime, CAROLUS VI. Imperator ſemper

per Auguſtus, propter tuam eximiam diſciplinae militaris peritiam ac firmam multarum rerum cognitionem, Temeſvenſe oppidum, totiuſque regionis principatum ad gubernandum commiſiſſet, ad aliud ſane animum tuum primum non adjunxiſti, quam ad regendas & moderandas gentes illas ab immanitate ac tyrannide ereptas, partim humanitate ac juſtitia, partim ſanctiſſimis legibus & inſtitutis, ac potiſſimum ad cingendam muris, munitionibuſque firmandam Orſaviam adverſus immanes Thracum irruptiones, quos ut tutiſſime poſſis propellere, quod-

quoddam aliud fortiſſimum propugnaculum e fundamentis condere adgreſſus es ab ELISABETHAE CHRISTINAE AUGUSTAE CAROLI VI. MAGNI AUGUSTI conjugis nomine nuncupatum. Singulari enim & ampliſſima virtute Tua, cujus laudandae difficilius eſt exitum, quam principium invenire, nationis Germanicae gloriam ac potentiam, quae Germanis ipſis a ſuis majoribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt, conſervare, & praeſertim augere ſtudes, ac praeclara fidei Tuae argumenta, & multi-

tiplicia ſpecimina amoris & obſervantiae erga Auguſtiſſimos Principes Auſtriacos, a quibus ſummis honoribus es decoratus, in bello Hiſpanico, Pannonico, Italico, & Rhenano ſemper edidiſti. Quumque ſis ſumma temperantia, manſuetudine ac incredibili humanitate praeditus, omnium animos, qui tecum verſantur, ita tibi obſtrinxiſti, ut ii beatiſſimi eſſe videantur, apud quos tu commoraris. Quis vero mirari ſatis non poteſt praeſtantiſſimas animi Tui dotes? quibus non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſuperas.

ras. In Te enim ſitas univerſi perſpiciunt, atque admirantur omnes illas Clariſſimorum Ducum virtutes, quae vulgo aeſtimantur, laborem in negotio, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in providendo, quae tanta ſunt in Te ſolo, quanta in omnibus reliquis, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Tandem difficile eſt dictu, quanto in ſtudio, ac exercitatione aſſidua fueris verſatus, quibus ab ineunte aetate operam, curamque omnem conſumpſiſti, quod & quotidiani ſermones Tui declarant referti Philoſophorum ſen-

ſententiis & doctiſsimorum virorum familiaritates, qui nobiliſsimam domum tuam perhoſpitalem ſemper frequentare ſolent. Hinc quum a curatione atque adminiſtratione rerum aliquando vacas, nullam aliam animi, corporiſque levationem peropportunam reperis, quam libentiſsime confugere ad differendum cum ſapientiſsimis viris de philoſophiae praeceptis, quae ad recte, beateque vitam ducendam quam maxime referuntur, aut ad tractandum de publicis, & privatis rebus, quarum cognitio ſummopere Reipublicae adminiſtrationi convenit. Eſt enim ad-

admirabilis quaedam continuatio, ſerieſque diſciplinarum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptae, colligataeque videantur. Inſuper quoniam antiquitatis ſtudium curae Tibi ſemper fuit, ſumma diligentia ac ingenti induſtria quendam locum inter Mediam, ipſamque Orſaviam poſitum prope Tſiernam fluvium nuper fodere juſsiſti, in quo aliqua vetuſtiſsima adparebant monumenta, ubi non ſolum ſtatuae & Herculis araе detectae ſunt, verum etiam quampluri-
ma vota ipſi Deo dicata pro ſalute & incolumitate Imperatorum, ac Praeſidum, variis quo-

que, diverſiſque inſcriptionibus ornata. Quis enim comprehendere animo poteſt? Quis non admirari? Quis non laude dignam judicare hanc tuam praeclaram, honeſtiſſimamque provinciam? quam exemplo praeſtantiſſimorum virorum, magna ac inſigni omnium admiratione ſuſcepiſti, quibus certe res tam vetuſtate nobiliſſimas, quam elegantia & pulchritudine celeberrimas inquirere ac perluſtrare mos ſemper fuit. Sic enim Germanicus Aegyptum profectus *cognoſcendae antiquitatis*, magna, ac diligenti contemplatione avita illius Provinciae monumenta perſpe-

Tacit. An. II. 59.

ſpexit. Sic etiam Julius Caeſar vir clariſſimus ob perfectiſſimam non minus in artibus ingenuis, ac in rebus militaribus ſcientiam, ſed & propter ſua praeclara geſta, quae diuturnitate temporis confirmari, & una cum ſeculis aetatibuſque hominum inveterari deberent, antiquiſſimas Trojae reliquias, & celeberrima ejus inclitae urbis veſtigia ingenti animi ſui admiratione obſervavit. Sic quidem Tu adſiduo, ac pervigili labore quotidie in Thermis aderas, ad viſenda varia antiquitatis rudera, quae ibi effodiebantur, graves ſolis aeſtus, & noxiam aëris intempe-

riem, qua ea regio laborat, nunquam extimeſcendo: & ut plebeculam paſceres, animumque ei excitares, premium non mediocre pollicebaris, unde celeberrimam, atque laudibus florentem eam regionem reddidiſti. Pro comperto enim habebas, nihil eſſe pulchrius aut praeſtantius ipſa antiquitate, quae ab omnibus gentibus omni doctrina, rerumque Majorum ſcientia clariſſimis excultа ſemper fuit, & potiſſimum a Graeciae civitatibus, ac ab illis omnium doctrinarum inventricibus Athenis. Summa fuit, ut mihi videtur, veterum Graecorum ſollicitudo, ac cura

in

in colligendis,aut cuſtodiendis antiquitatum monumentis & vetuſtate & varietate notabilibus, ut integras urbes nobiliores fecerint ob vetuſtiſsimas tabulas, ſigna, templa, aliaſque ejus generis antiquitates, quibus erant ornatae, ac prae ceteris ob

inciſa notis marmora publicis, Horat. IV. od. 8.
Per quae ſpiritus, & vita redit bonis
Poſt mortem ducibus.

Qua de re Theſpiae propter unum Cupidinis ſignum viſebantur, aut Syracuſae maxima Graecarum urbs, & pulcherrima in ſummo, atque indicibili apud alias nationes honore habe-

bebantur ob pugnam equeſtrem Agathoclis Regis in tabulis pictam praeclare, ac in nobili Minervae templo poſitam. Nihil enim erat ea pictura nobilius, nihilque quod magis viſendum putaretur. Quocirca Dacia, quae olim VIRTUTE HADRIANI AUGUSTI IMPERIO ADDITA FELIX erat, amplioribus nunc ornamentis, beneficiis ac utilitatibus a liberali Principis indulgentia in ipſam collatis, ſummam felicitatem ac majorem nunc conſecuta eſt dignitatem, quam illius Imperatoris invictiſſimi ac ſapientiſſimi tempeſtate. NAM CAROLUS

Apud Grut. CCXLIX. 4.

LUS VI. MAGNUS AUGUSTUS bello acerrimus, virtute eximius, semper animo maximus, cujus laudes orbis terrae regionibus definiuntur, depulsis Thracibus in ipsam, in potestatem ditionemque suam redactam, e vestigio Christianam invexit religionem, sanctas atque solidas posuit leges, colonias deduxit, ipsasque incolumes conservare tueri, & confirmare decrevit. Quae summe haec omnia cunctis videntur magis esse laudanda, quum fidei Tuae Provinciam illam commiserit, ut reipublicae tranquillitati, salutique populorum consuleres, ac clauſtra

& pro-

& propugnacula Imperii Germanici cuſtodires. Tandem, ne haec vetuſtatis monumenta, quibus ſimul & novitas gratiam & varietas delectationem & antiquitas ipſa auctoritatem conciliat, in tenebris ſepulta diu jacerent, atque eorum penitus aboliretur memoria; cogitaſti alicui onus hoc committere, ea nempe explicandi, atque interpretandi. At quoniam ſingulari amore ac benignitate in Tuam amicitiam, & fidem me jam receperas, quodam die, quum Tecum diſſerebam de utilitate, ac praeſtantia veterum numiſmatum, & laborioſum marmorum ſtudium

dium celebrarem, non tam ob Chronologiam ex iis eruendam ac propter foedera, & Senatuſconſulta, quam pro operibus publicis, atque Imperatorum geſtis cognoſcendis, quae omnia in eis expreſſa reperiuntur; mihi notitiam adprime gratam praebuiſti, effoſſa juxta Tſiernam fluvium quaedam balnea, variaſque Herculis icones, & aras inſcriptionibus ornatas, detectas fuiſſe, quas ad illuſtrandas Tua erga me auctoritate, qua plurimum polles, animum meum impuliſti, ac altius erexiſti, quum Inſcriptionum exemplar in poteſtatem meam tra-

ditum oculis perluſtraſſem, a quo certior factus ſum, nullum omnino extare in iis veſtigium Trajani, & Hadriani aetatis, ſed ſolum quaedam potius peti poſſe argumenta circa Antonini Pii tempus ex Eris, quas ipſa marmora teſtificari videntur. Verum quum ſciviſſem Te in eam provinciam iturum, deprecari non deſtiti, ut a peritiſſimis ac diligentioribus viris ea iterum e marmoribus excipienda curares, quae in Tuo reditu tandem mihi praebuiſti; ac propterea majori delectatione, ac uberiori ſpe priſtinam opinionem, quam jam exploratam habebam, ſedulo con-

confirmavi, non extitiſſe balnea haec Herculana ante Titi Aelii Antoninii Pii aevum. Sed quoniam nonnulla mihi memoria iterum erant repetenda, quamplurima vero in Graecis, Latiniſque ſcriptoribus inveſtiganda, atque obſervanda, ſelectae librorum ſuppellectilis uſum perhumaniter mihi conceſſit, & nulla praetermiſit, quae noſtris faverent laboribus, eruditiſſimus Abbas Joſephus e Principibus a Trautſon, qui generis nobilitatem, quae ſumma ipſi, & antiquiſſima contigit, liberalium diſciplinarum dote, & ornamento amplificare optat, cui

cor limante Minerva
Acrius, & tenues finxerunt pectus
Athenae.

Sic hanc dissertationem, quam citissime potui, ut Tuis obtemperarem jussis, confeci atque ad umbilicum perduxi. In ea enim breviter, atque dilucide demonstravi, qua in Daciae Antiquae parte hae Thermae fuerint sitae; rationesque uberius exposui, ob quas Herculanae nuncupatae fuerint, nec non omni sollitudine ac diligentia inscriptionum Eras reperire curavi, ad quas non modo ex antiquis nummis & marmoribus, verum etiam ex veteribus Jurisconsultis disciplinarum omni-

omnium cultoribus, illuſtrandas ſum adgreſſus
Materia vires exſuperante meas.
A quorum numiſmatum ac marmorum ſtudio nunquam abhorrui, quinimo huic, non minus ac aliis ſcientiis, multis ab hinc retro annis omni meo conatu incubui, quod ſummopere ad exactam, omnibuſque numeris abſolutam Romanae Juriſprudentiae intelligentiam pertinere cognoverim, ut jam apertiſſime in noſtris diſſertationibus DE UNIVERSA VETERUM JURISCONSULTORUM SAPIENTIA oſtendi, quas ſpero σὺν θεῷ brevi typis daturum. Quae quum ita ſint,

ſint, quis ſane fateri non putet? Te ſupra M. Scaurianum laudibus cumulandum eſſe. Nam etſi ille ab Antiquitate laudatur, quod Trajani temporibus Sarmigethuſam coloniam deduxerit in Dacia; Tu vero majori laude extolleris, quum has Herculis Thermas, quae per immemorabile tempus ſub terram jacentes dormierint, in apricum protuliſti, ut non immerito *Aquae Hamiltonianae* ſint nominandae, ut Aquas Sextias a C. Sextio Proconſule dixit Antiquitas. Quae quidem majoris etiam praeſtantiae, ac nobilitatis ſunt, quam DACIAE THESAURI DE-

Ap. Grut. VI. 3.

DETECTI ſub Trajano, quum Victo Decebalo Daciam tenuit, Romaniſque legibus obedire coëgit. Aquae enim calidae, quae e terra ſponte erumpunt, ut uſus nos docet, variis morborum generibus ſunt ſaluberrimae: ſicque maximam hominum ſanitati opem tuliſſe videris, qua nihil jucundius, nihilque preſtantius non ſolum eſſe, ſed ne cogitari quidem quidquam melius poteſt. Hinc ut humanae ſaluti majori commodo ac ſpe conſuleres, lavacra, & ſellas balneares iterum reſtituere decreviſti: ob quae hercle frequens ibi convenire ſolet multarum gentium coe-

Apud Grut. XXI, 8.

tus

tus ac ingens fieri confluxus, ob loci amoenitatem, calidorumque fontium ſalubritatem, quibus corpora graviſſimis morborum generibus correpta priſtinam ſanitatem recuperant, mirificeque recreantur. Plurimum ideo utilitatis hominibus adtuliſti, quam olim non praeſtitum fuit AQUA INDUCTA COLON. DACIC. SARMIZ. PER CN. PAPIRIUM AELIANUM Legatum, & Propraetorem Hadriani. Obſecro Te denique, ut has meas lucubrationes, atque ingenii mei hocce munuſculum grato animo accipere digneris, quod ego Nomini Tuo dono dare, ac dedicare volvi.

Apud Grut. CLXXVII. 7.

Nullus

NUllus dubito, quin Thermas Herculanas, quae nuper detectae sunt in Dacia Trajani, collocandas censeam in Zernensi Territorio ex Inscriptione in Thermis reperta, quamvis e marmore indiligenter fuerit excepta, nam prae ceteris mensis abest in aris votivis nunquam omissus, ut videre est in collectione Gruteriana

III. IDUS. APR. SEVERO ET VICTOR. COSS. XII. I.

& passim X. KAL. MAJAS, vel KAL. DEC., XXXIII. 9.
aut XIII. KAL. FEB. Consulum epocha sem- XXIV. 7.
per adjecta. Nunc vero inspicienda est Inscri- XXXII. 6.
ptio, de qua dicebamus. LXVII. 5.

HERCULI. AUG. VALER. M
FELIX. RUFI. SATURNINI. G. P. P
T. P. EXPR. IV. STATIONIS

TSIERNEN. IIII. ID. ANNO. XI
BARBATO. ET. REGULO. COS
EX VOTO. POSUIT

Quum impraesentiarum Tsiernam vulgo vocitent fluvium, qui Thermas praeterfluit e montibus Transilvaniae decurrens, quae pars erat Antiquae Daciae. Eodem nomine insignitur etiam fluvius in Bulgaria, quem τὸν Τζερνᾶν λεγόμενον ποταμὸν *Tsernam fluvium* vocat Cedrenus, prope Pila-
Hist. comp. pag. 709. edit. Paris. grum, & Stypejum confluentem, quae ejus provinciae castra erant Basilii temporibus, cujus res gestas enarrat. Hinc Zerni nomen inditum a Tserna, qui fluvius, ejus praeterfluit territorium, non levi argumento conjectamus: urbes namque a fluviis saepe nomen accepisse legimus. Carrhae urbs Mesopotamiae
ap. Steph. ἀπὸ Καρρᾶ ποταμοῦ Συρίας *a Carrha Syriae fluvio*. Antiochia Mygdoniae ἡ δὴ Μυγδόνιος ποταμῶν κάλλιστος τὴν αὑτοῦ πολίσθησι Φήμην *cui quidem urbi Mygdonius fluviorum pulcherrimus nomen suum communicat*, teste Juliano: ut praeOrat. ii. p. 62. edit. Lipsi. teream pleraſque Siciliae urbes quae, ut Duris apud Stephanum refert, a fluviis denominabantur. Sic Nestum Illyriae fluvium urbi nomen dedisse suspicamur: & Istrus urbs in Ponto, quam condidere Milesii, ἀπὸ ὃν ποταμοῦ ἔλαβεν τὸ ὄνομα *fluvii nomine fuit donata*, juxta Auctorem

Peri-

Peripli Ponti Euxini . De Colonia Zerni Ulpianus haec literis consignavit *Indicia quoque Zernensium Colonia* . Sed error librarii in voce *Indicia* latet , qui ex Basilicis emendandus *in Dacia* ἐν Δακίᾳ ἡ τῶν Ζερμησίων ἀποικία , ubi mendum etiam irrepsit , nam loco Ζερμησίων *Zermensium* Ζερνησίων *Zernensium* reponendum ducimus , uti in Pandectis Florentinis extat . *Zernis* enim dicitur in notitia Imperii , quae scripta Imperante Theodosio Magno . Graece vero Ζέρνις apud Procopium , convenitque cum nostro marmore STATIONIS TSIERNENSIS . Singulari quidem exemplo , nam *Graeci* , & *Latini* , ut ait Vossius *non habent* TS , *& interdum* S , *interdum* T *omittunt* . Ad Zernensium Coloniam , antiquam Inscriptionem refert Jacobus Cujacius , *quo doctiorem , acutiorem , aut judicii sinceriorem Jurisconsultum nulla aetas vidit , nulla , opinor , videbit* .

L. 1. π de censibus.

Noris de epoch. Syrom. p. 302. ed. Flor.

De Art. Gram. 1. 37.

Observ. x. 35.

Isaac. Casaub. in Ael. Lamp.

I. O. ROMULO PARENTI
MARTI AUXILIATORI
FELICIBUS AUSPICIIS CAESARIS D. NERVAE
TRAIANI
AUG. CONDITA COLONIA DACIA
ZERMIS PER
M. SCAURIANUM PROPRAETOREM

Verum pace diligentiae tanti viri dixerim, quod non Zermis, ſed *Sarmiz.* id eſt *Sarmizaegethuſa* ſit legendum: inſuper non Dacia, ſed *Dacica*, quemadmodum illam exſcripſit Wolfangus Lazius, ac in ſchedis Cluſii, qui Daciam peragravit, fuit reperta

Apud Grut. VI. 3.

I. O. M.
ROMULO PARENTI
MARTI AUXILIATORI
FELICIBUS AUSPICIIS
CAESARIS. DIVI NERVAE
TRAIANI AUGUSTI
CONDITA COLONIA
DACICA
SARMIZ
PER
M. SCAURIANUM
EJUS PROPR

Sarmiz. ita interpunctam, integram alia exhi-

CCCCXXXVII. I. bent marmora

COLON. ULPIA. TRAIAN
AUG. DACICA SARMIZGETUSA

Et alibi

CCLXII. I. COLONIA SARMIZAEGETHUSA

Ulpiano eſt *Zarmizegethuſa*, Dioni Ζερμιζεγεθῦσα Ptolemaeo Ζαρμιγεθῦσα, in Tabulis vero Ζαρμισογεγεθῦσα.

ἔθος. Quam ob rem quae primum Zernis dicta ſemper idem nomen ſervavit. Romanis quippe mos erat in deducendis coloniis, ut antiqua nomina nunquam immutarint auctore Strabone v. p. 216. edit. Amſt. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι παραλαβόντες καὶ πέμψαντες ἀποίκους πολλαχοῦ, συνεφύλαξαν καὶ τὰ τῶν προαποικησάντων γένη *Romani autem rerum potiti, quum colonias in varia loca emitterent, nomina tamen eorum, qui prius ibi habitarunt, conſervarunt*. Trajanus Zerni Coloniae juris Italici beneficium contulit, ut Ulpianus adſerit *in Dacia quoque Zernenſium colonia a Divo Trajano deducta juris Italici eſt*. Floruit Ulpianus ſub Septimio, ejusque filio Caracalla, & Alexandro Severo. Trajanus victo Decebalo πόλεις ἐν Δακίῳ κατῴκησεν *colonias in Daciam deduxit*. Dio LVIII. p. 777. ed. Han. Coloniae, quae jure Italico gaudebant, praeter reliquas liberalitates, plenam a tributis immunitatem adipiſcebantur. Quod ſingularis beneficii loco nonnullis extra Italiam oppidis, aut coloniis ab Romanis fuit poſitum: quem ἀτελείαν *tributorum immunitatem* largiendi morem e Graecis deſumſerunt, eorumque exempla, quod in plerisque aliis ſolebant, ſunt imitati. Porro Athenienſes, & Lacedaemonii foedere facto Olympiade 89. 3. Delphis αὐτονομίαν, & ἀτελείαν conceſſerunt, Thuc. v. p. 302. ed. Amſt. ac utrumque Peloponneſi civitatibus ex foede-

re

re Lacedaemoniorum, & Argivorum relictum Olympiade 90. 3. Frequentioribus tamen Romani beneficiis civitates affecerunt ob eximiam erga eos fidem, praesertim post bellum Antiochicum Graecas in Asia urbes αὐτονόμους *suis utentes legibus* reliquerunt: eas vero, quae singulari fide in eo bello Romanis erant obstrictae ἀπέλυσαν τῶν φόρων *immunes a tributis statuerunt*. Quas largitiones deinde magis amplificavit Augustus, ac insequentes Imperatores, ad quos summa Imperii pervenit. Hinc Berytus in Phoenice *Colonia Augusti beneficiis gratiosa*. Hinc Tyro in eadem Provincia, ut ceteras tacitus omittam, *ob egregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum fidem*, Jus Italicum concessum. At non omnibus Coloniis id privilegii tributum, nam Ptolemensium Colonia inter Phoenicem, & Palaestinam sita, *nihil praeter nomen Coloniae habuit*. Similiter Caesarienſis, & Capitolina *neutra Jus Italicum* sortita est. Antiochia pariter in Syria tantum Colonia facta *salvis tributis*. Itaque majus beneficium, amplioremque largitionem consecuta videtur a Trajano Zernis, quam ab aliis Imperatoribus Augustis Antiochia, Caesarea, ac Capitolina, quae Coloniae nomen adeptae, juris autem Italici beneficio caruerunt.

p. 337.

Polyb. in Exc. legat. 36. pag. 844. ed. Paris.

2. de Censib.

Pto-

Ptolaemeus ſtatuit Δίερνον non longe a Danubio, quam pro Ζέρνη poſuiſſe videtur, quum duas haſce literas ζ & δ, ut inquit Plato in Cratylo, μεταβάλλειν *ad invicem commutant* Graeci. Sic etiam Priſcianus refert Latinos pro *Mezentio* dixiſſe *Madentio*: unde Dierna vel Zernis inter Tibiſſum, & Alutam erit reponenda, non vero inter Tibiſſum, & Rhabonem, ſive Mariſſum; in quo turpiter alucinatus eſt Ptolaemeus, namque Rhabo in Danubium non exoneratur, ſed in Tibiſſum. Juſtiniani vero aetate Zernis πρὸς τῇ τοῦ Ἴστρου ἠϊόνι *in ora Iſtri* inter Φρούρια *Caſtella* recenſita ad arcendas Barbarorum incurſiones. Romani namque Imperatores Danubii ὃ δὴ ἐν δεξιῷ τοῦ ποταμοῦ, ἀλλαὶ ᾗ αὖπερ ἐνιαχῇ ὅπη θάτερα πλίσματά τε καὶ Φρούρια τῇδε διεμάμψαι *oram oppidis, & caſtellis praetexuerunt paſſim a dextra, alicubi etiam a laeva extructis*. Id mihi in mentem revocat Druſi admirandam providentiam, qui *in tutelam Provinciarum praeſidia, atque cuſtodias ubique diſpoſuit per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella direxit*. Milites certis in locis locabantur, ut latrocinia prohiberent, unde *ſtationarii* dicti. Euſebius cujusdam loci meminit inter Aeliam, & Hierichum, quo ſtatio militum collo-

III. 4.

Procop. IV. 6. de Aedific. Juſtin. p. 80. ed. Pariſ.

Flor. IV. 12.

In loc. Hebr.

collocata ; quive ob auxilia viatorum , Graecis dictus ἀνάβασις πύρρων *aſcenſus ſanguinariorum* . Locus , quo in praeſentia poſitae Thermae , ob frequentes graſſationes ibidem fieri ſolitas, *Balneum Latronum* vulgo audit . Quo ſpectat marmor prope Thermas nuper effoſſum de Julio e Tribu Sergia Baſſo decemviro Drobetae quaeſtore a latronibus interfecto

D. M
IVL. L. FIL. SERGIA
BASSO. DECEMVIR
DROBETAE. QVAES
TOR. INTERFECTO. A
LATRONIB. VIX. AN.
XXXX. IVL. IVLIANVS
ET. BASSVS. PATRI
PISSIMO
ET. IVL. VALERIANVS
FRATER. MORTEM
EIVS. EXSECVTVS
F. C

De Publio Aelio e Tribu Sergia magno, qui Murſae natus in inferiore Pannonia, mentio fit in mar-
MVII. II. I. more Gruteriano Conſulibus APRONINO ET BRADVA id eſt A. V. C. 944. Chriſti 191. Commodi Imp. 16. & 12. quamvis male inſcriptum

ptum APRONINO pro APRONIANO ; uti xvi. 9.
ex alio marmore conſtat . An circa id tempo-
ris , vel paullo poſt vixerit Julius Baſſus de-
cemvir Drobetae , temerarium quidem eſt di-
vinare : ſatis autem probabile videtur ob loco-
rum viciniam ejusdem Tribus fuiſſe , quam me-
morant Aſconius , Frontinus & paſſim marmo-
ra apud Gruterum , & Reineſium . Drobeta ſub
Duce Daciae Ripenſis in notitia Imperii , in qua
ſic habetur : *auxilium primorum Dacicorum Dro-
betae* . In Tabula Peutingeri poſt Aegetam in
Moeſia DRVBETIS poſita . Auguſtus ſaeviſſi- Svet. 32.
mos latrones *diſpoſitis per opportuna loca ſtationi-
bus inhibuit* , viasque etiam conſtrui curavit .
Strabo προσέθηκε γὰρ ὁ Σεβαςὸς Καῖσαρ τῇ καθαιρέσει τῶν λῃςῶν IV. p. 141.
τὴν κατασκευὴν τῶν ὁδῶν *nam Auguſtus Caeſar latronum
excidio viarum ſtructuram adjecit* . Neque a veri-
tate abhorret , Trajanum , cum ut viatorum ,
naviumque ſecuritati , & commoditati proſpice-
ret ; tum etiam ut latrones eliminaret , locis tu-
tioribus hominum frequentia redditis , viam in
viva rupe exciſam aperuiſſe prope Danubium
montium difficultatibus ſublatis , ut indicat mar-
mor nuper detectum in Orſavia

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F
NERVA. TRAIANVS. AVG. GERM
E PONT.

PONT. MAXIMVS. TRIB. POTEST
PATER. PATRIAE. COS. P. P
MONTI D BV
S ATI

Verum quum Inſcriptionem attentius poſtea perlegerim, rationem aliam excogitare coepi, qua ductum Trajanum viam hanc feciſſe ſuſpicor. Quum enim Trajanus ad Sarmigethuſam Daciae metropolim ac Decebali ſedem caſtra movere decreviſſet, exciſis ac diſruptis montibus iter ſibi patefecit, ac per praerupta ſaxa ad Regiam uſque
LXVIII 773. penetravit, ut a Dione traditum ἐς αὐτὰ ἐπ' ἀκρὰ ἐπεχείρησεν, λόφους ἐκ λόφων μετὰ κινδύνων καταλαμβάνων ἐς τοῖς τῶν Δάκων βασιλείοις ἐπέλασε *contendit ad editiora montium loca, indeque aliis atque aliis occupatis collibus non ſine periculo ad Regiam Dacorum pervenit*. Ubi caſtris deinde relictis, ac regione cetera praeſidiis
p. 774. munita Italiam regreſſus eſt. E quo viae beneficio tot publica commoda, ac utilitates opportunae, multiplicesque derivarunt, de quibus ſupra diximus. Hanc viam Dionis veſtigiis inſiſtentes primo bello Dacico conſtitutam opinamur, id eſt A. V. C. 854. Chriſti 101. quo tempore prius bellum Dacicum fuit a Trajano ſuſceptum, ut clariſſimi viri Caſaubonus, & Fabretus exiſtimarunt: ſic ut facile poſſimus adjicere TR. P. IIII. IMP.

IMP. II. COS. IIII. quod in noſtro marmore praetermiſſum. Sed haec ὁδὲ παρεγον: Stationarii igitur milites poſiti erant in limitibus, unde hoſtium incurſus timebatur. Qui primi id inſtituerunt, Aegyptios ſub Pſammeticho fuiſſe Herodotus ait. Rex ille prudentiſſimus φυλακὰς *praeſidia* in urbe Elephantina adverſus Aethiopas collocanda curavit, ad Daphnas Peluſias adverſus Arabes, & Aſſyrios, & in Marea adverſus Africanos. Quae etiam viguiſſe, quum Perſae Aegyptum ſubegerunt, idem Herodotus teſtis αὐτόπλης narrat. Sub Romanis praeſidia in Syene poſita, quae Aethiopiam ab Aegypto diſterminat, ut tradit Aelius Ariſtides, ubi φρεφάχε *praeſidii praefecti* meminit. Quoniam vero ſtationariis, vel praeſidiariis militibus clauſtra, & Imperii fines concrediti: idcirco Romani Imperatores prudenti ſane conſilio eos Romana Civitate donabant, ut ἐν τιμῆς αὐτὲς μέρει λήψεθς τὴν μετοσίαν τῆς πολιτείας *honoris ergo in civitatis communionem admitti ſe ſe intelligerent*. Id prius indicaverat Tacitus ubi ſermonem habet de militari Ponticorum cohorte, Trapezunte in extrema Ponti ora ad loci praeſidium relicta *qui donati Civitate Romana*. Veteranis in Pannoniam deductis Veſpaſianus

II. p. 30. ed. Amſt.

Orat. Aegypt. p. 344. edit. Oxon.

Ariſt. Orat. in Rom. p. 382.

Hiſt. III. 47. p. 251. ed. T. Bat.

ERIS. POSTERISQVE EORVM CIVITATEM DEDIT

2. cujus exemplum fecutus deinde Hadrianus Imperator. Quin etiam, ut ea, quae tuebantur loca, libentius ac fidelius cuſtodirent, primus Alexander Severus donavit, dicens: *attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent*. Ante Alexandrum vero agri ex hoſtibus capti ſaepe publicabantur. In Zerni militum ſtationem, qui locum munitum propugnabant, locatam fuiſſe liquet ex marmore aevo Antonini Pii in noſtris Thermis poſito a Valerio M. Felice.

Lamprid. 58.

Pompon. L. *ſi captivi π. de captiv. & poſtl. reverſ.*

EXPR. IV. STATIONIS TSIERNEN.

Quae, ut moris erat, ex equeſtri, & peditata militia conſtabat teſte Eumenio Rhetore *nam quid ego Alarum, & Cohortium Caſtra percenſeam toto Rheni & Iſtri & Euphratis limite reſtituta?* Theodoſii inſuper ætate Tribunus Legionis XIII. Zerni morabatur, ut habet notitia Imperii his verbis *praefecturae Legionis decimae tertiae Zernis*. Quem utiliſſimum Codicem ex tua Britannia, VIR EXCELLENTISSIME, delatum primus in lucem protulit Vir Clariſſimus Sigiſmundus Gelenius.

Or. de ſch. inſtaur. p. 280. ed. H. S.

Neque heic praetermittere exiſtimavi nobiliſſimas

mas illas Daciæ Thermas, quarum meminit Ptolaemeus Alexandrinus (floruit enim Trajani, & T. Aelii Antonini aetate) easque ΤΑΑΤΑ AQUAS nuncupavit ac poſt Sarmigethuſam ſtatuit: quamvis ſitum, & diſtantiam clarius exprimat Tabula Peutingeriana a Clariſſimo M. Velſero typis edita, ac nuper delata in ornatiſſimam & locupletem CAROLI VI. SEMPER AUGUSTI Bibliothecam, qua locus ille Aquarum deſcribitur XIV. millibus diſtans a Sarmigethuſa ad Orientem verſus: quae nunc Warhelius nominatur, argumento petito ex ruderibus ac Inſcriptionibus ibidem effoſſis, quae ad urbem illam veterem, & Daciae metropolim ſpectant, nomenque ejus praeſeferunt. Sed, quod mirum, hae aquae, quarum meminit Tabula Peutingeriana, & Ptolaemeus, ſine ſpeciali regionis nomine adpellantur, ut haud facile recentiores ſcriptores divinarint, quo in Daciae loco erant poſitae, vel incerti alibi collocarint. Romani quamvis ſalubrium aquarum loca plerumque AD AQUAS dixerint, regionis tamen locum adjecerunt, ut ab aliis poſſint diſcerni. Itaque Antonini Itinerario *Aquae Tarbellicae* a Tarbellis in Aquitania recenſentur. Aquae *Bilbilitanae* in Hiſpania a Bilbili denominatae, ſalubres ob ferri metalla, quibus locus

ille

ille affluebat. Antonino item *Aquae Celeniae* in eadem Hiſpania. *Aquae Cumanae*, ad quas profectus Cn. Cornelius Conſul. *Aquae Cutiliae* optimae ſtomacho, nervis, & univerſo corpori, ubi Veſpaſianus, quum eas ſaepe frequentaret, mortem obiit. Quandoque aquae a Coloniae conditore cognomentum accepere, uti *Aquae Sextiae*; de quibus in Epitoma Livii c. *Sextius Proconſul victa Salviorum gente, Coloniam condidit, ab Aquarum copia, & calidis & frigidis fontibus, atque a nomine ſuo ita adpellatam.* Haſce Aquas in antiquis monumentis celebratas deprehendimus, uti in nummo Veſpaſiani COL. AQUAE SEXTIAE LEG XXV. Et in lapidibus AQUIS SEXTIIS, vel AQUIS JULIS, aut COL. JULIH AUG. AQUIS SEXTIIS.

Liv. XLI. 16.

Plin. XXXI. 2.

LXI.

DXLVI. 6.

CCCCXV. 2.

CCCCXIII. 4.

Ad hunc Daciae locum AD AQUAS dictum referri videntur antiquae duae Inſcriptiones COLONIAE AQUENSIUM, quarum una effoſſa extra Clauſemburgum Trajani temporibus Coloniam Napocenſem adpellatam, ut adſerunt nonnulli

Ulpian. L. 1. π. de Cenſ.

XXIII. 10.

I. O. M
V. VL. COR
PRO. SALVTE. SVA. ET SVORVM
JUL. AVR. DECORAT. DEC. COL
AQ.

AQ. FLA. JUL. AEDIL. ET
M. AVR. FILIORVM. S. DEC
COL. AQ QVES
V. S. L. M.
PERPETUO. ET. CORIOLANO
COS.
VIII. IDVS JVNIAS

ubi AQ. QVES legendum AQVENS, & CORNELIANO pro CORIOLANO. Lapis positus A. V. C. 990. Christi 237. Balbino, & Pupieno Imperantibus, Coss. vero L. Ovinio Corneliano, & P. Titio Perpetuo.

Altera vero Albae Juliae eruta, quae nunc Weissenburg vocitatur

DEO. SOL
HIEROBO. L
AUR. BAS
SINVS. DEC
COL. AEQVENS
SACERDOS. NV
MINVM. V. S. L. M

XXXIII. 3.

Quum igitur in Dacia Trajani marmorea isthaec monumenta fuerit reperta, colligere vel facile possumus, ea non spectare, ut Reinesius, & Cellarius opinantur, ad AQUAS in Moesia inter Aegetam, & Dorticum positas Antonini Itinera-

nerario, quarum meminit Juſtinianus Novella XI. *in Aquis quae eſt provinciae Daciae Ripenſis*; Verum potius AD AQUAS in Dacia Trajani pertinere arbitramur, quemadmodum etiam ſubodoratus eſt emunctae naris V. C., & Criticorum princeps Petrus Weſſelingius. Neque heic alia eſt omittenda Inſcriptio, in quâ Colonia Aquenſium etiam recenſetur

In Vet. Rom. Itinerariis p. 219. & 269. Amſt. an. 1735.

XII. 8.

I. O. M
PRO. SALUTE
CL. POMPEJUS
FAUSTUS. DEC
COL. AQ

Sed nunc tempus eſt, ut reliquas Inſcriptiones noſtris in Thermis repertas explicemus. Legio XIII. Gemina ab Trajani temporibus in Dacia erat poſita. Hinc in noſtris Thermis mentio T. Aurelii Geminiani Veterani Legionis XIII. geminae in baſe Herculis ſigni.

HERCVLI INVICTO. T. AV. GEMIN
IANVS VET. LEGIONIS XIII. GEM
ANTONINIANAE. EX VOTO. POSVIT

Occurrit etiam legenti Gruterum id cognominis praeſertim

DCLVII. 5.

M. CASSI. M. F.
GEMINIANI

Non

Non procul a Thermis nuper effoſſus lapis alter, quo eadem Legio memoratur

DIIS MAGNIS
ET. BONIS. AESCV
LAPIO. ET. HYGIAE
MARC. AVR. VETE
RANVS. PRAF. LEG
XIII.G.ANTONINIAN
V. L. M. S

Praefectus Legionis heic idem eſt, ac Marcello Jurisconſulto *Tribunus Legionis*, ille ſcilicet, *qui ad aerarium, aut in commentarium principis* delatus erat, ut clarius explicat Modeſtinus. Vegetio vero Tribunus major vocitatus *Tribunus major per epiſtolam ſacram Imperatoris judicio deſtinatur. Minor Tribunus provenit ex labore.* Ac alibi *Praefectus Legionis, qui abſente legato, tanquam vicarius poteſtatem maximam retinebat.* Hoſce Tribunos ita diſtinxit aevo Alexandri Severi Ulpianus *Tribunus*, nempe, *ſive cohortis, ſive legionis*. In lapidibus autem non Tribunus major, aut legionis, ſed *Praepoſitus*, vel *Praefectus legionis* denominàtur, in altero praeſertim marmore Dacico, ubi de C. Rutilio Coclite PRAEF. LEG XIII. G. Sub Imperatoribus Byzantinis inſignis praefecti legionis titulus adhuc

L. 25 π. de teſtam. milit.

L. 32. π. ex quibus cauſis.

II. 7. p. 35. ed. P. S.

9. p. 28.

L. 2. π. de his qui not. infam.

CLXIV. 4.

CCCLXXXVII. 8.

CCCCLXV. 2.

vigebat , namque L. Voconio Viro Conſulari , ac urbi praefecto ſub Valente tributum fuiſſe e
CCCXLVII. I. marmore Gruteriano edocemur . Quod in cauſſa fuit , cur Vegetius , qui ſub Valentiniano II. floruit , tam dilucide praeclarum munus illud militare expoſuerit , nam , ut patet , ſaepe *ſui* , &
Lipſ. de milit. Rom. lib. I. Dial. II. *ſuperioris aevi inſtituta aut mores miſcet , aut confundit* . Sed in viam redeamus . De L. Aurelio milite ejuſdem legionis lapis inventus Albae Juliae haec habet .

L. AVRELIVS. INGENVVS
DXXVIII 8. MILES. LEG. XIII. GEM
ANTONINIANAE

Legionem XIII. Geminam Trajanus in Dacia
LV. p. 564. locavit , cujus meminit Dio τό τε τρίτον καὶ δέκατον (στρατόπεδον) τὸ ἐν Δακίᾳ , τὸ Δίδυμον *decimatertia* (Legio) *Gemina in Dacia* , ita dicta ſecundum ordinem delectuum , uti Dio itidem prodidit , ubi de X.
I. de Bell. Gall. Legione Caeſaris *cui indulſerat praecipue , & propter virtutem confiderat maxime* .
XXXVIII. p 90. ὅτω δὲ δὴ τὰ πολιτικὰ στρατόπεδα πρὸς τὴν τῶν καταλόγων τάξιν ὠνομάζετο . ὅθεν πὲρ καὶ νῦν ὁμοίας τὰ νῦν ὄντα τὰς ἐπικλήσεις ἔχει : *ſic enim ſecundum ordinem delectuum Romanae Legiones nominabantur , hodieque eadem ratione cognomenta ſua ſortiuntur* . Hiſtoriam Dio ſcripſit ſub Alexandro Severo . Geminae vero dicebantur , quum diſſipatis aliis

Le-

Legionibus in caeteras admiſcebantur ἀφ' ὅπερ καὶ Lv. p. 564.
Δίδυμα ὠνομασμένα νενόμισαι *ex quo geminas appellationem trahere putatur*, ut explicat idem Hiſtoricus. Antoniniana deinde, ut opinor, adpellata ob virtutem in Dacia ſub Antonini Pii Imperio. Hinc in lapide Albae Juliae reperto

PRO SALVTE. IMPERII
ROMANI. ET VIRTVTE
LEG. XIII. G. SVB M. STATIO
PRISCO. II. II.

Marcus Statius Priſcus Legatus Auguſti, Propraetor Daciae fuit ſub T. Aelio Antonino, ut teſtificatur Inſcriptio in Tranſilvania, quae pars erat antiquae Daciae, uti praediximus.

DIANAE XL. 13.
AVG
PRO SALUTE IMP
CAES
TITI AEL HADRIANI
ANTONINI AVG. PII
P P
M STATIVS PRISCVS
LEG. AVG. PR. PR
V. S. L. M

Sic etiam

ALA AVGVSTA APPELLATA OB Apud Grut. MVII. 3.

VIRTVTEM IN BRITTANIA.

Et

MVI. 8. ALA AVG. GORDIA. OB VIRTVTEM APPELLATA IN BRITTANIA.

Ante id temporis Legionem XIII. Geminam tantum dictam arguit marmor ſub Veſpaſiano poſitum , in quo de Lucio Lepido Proculo ſermo habetur .

MCXCVI. 4. PRIM. LEG XIII. GEMIN
DONIS DONATO AB
IMP. VESPASIANO AVG
BELLO IVDAICO

Columella Capitolina , in qua inſcripta NOMINA LEGIONVM , habet XIII. GEM. uti & altera apud Maffaeos perſimilis columna . Alia item inſcriptio , quam divulgavit Antiquitatibus illuſtrandis natus Gisbertus Cuperus , quae Calpurnium Proculum *Tribunum in Dacia Legionis XIII. Geminae* memorat .

DXIII. 2, 3.

Not. in Lactan. de Mort. perſec. p.210. ed. Ultr.

ΧΕΙΑΙΑΡΧΟΝ
ΕΝ ΔΑΚΙΑ ΛΗΓΙΩΝΟΣ
ΙΓ. ΓΕΜΙΝΗΣ

Qui dein ſub M. Aurelio , & Lucio Vero Legatus , ac Propraetor fuit Daciae , ut inſcriptus lapis Albae Juliae exponit

LXXIII. 10. FORTVNAE. AVG
SAC

SAC
P. CALPVRNIVS PROCVLVS
LEG AVGG
PR. PR

Qua vero tempeſtate, quave occaſione id cognomenti adepta fuerit, haud facile cognoſci licet. Veriſimile ſane videtur, tum temporis eveniſſe, quum *Germanos & Dacos* T. Antoninus *contudit per Praeſides & Legatos*, de quo Capitolinus: nam in Dione, e quo plura excipere poſſemus, deſiderantur geſta T. Antonini, ut Xiphilinus monuit τὰ περὶ τοῦ Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς ἐν τοῖς ἀνεγγράφοις τοῦ Δίωνος οὐχ εὑρίσκεται *acta Antonini Pii non inveniuntur in exemplaribus Dionis*. Sub idem tempus praeter *Antonianae* cognomentum, alia quoque ſortitam fuiſſe legionem XIII. Geminam, *Piae* nempe & *Fidelis*, conjicimus e lapide Romano, Priſco Licinio poſito LEG. AVG. PROV. DACIAE LEG. LEG. XIII. G. P. F. namque non ad alium Auguſtum pertinere videtur, quam ad T. Antoninum, ſub quo P. Licinius Legati, vel Praeſidis Daciae munus exercebat, quum *Legatus* ſub nomine *Praeſidis* contineatur. Idque cla- L. 1. π. de Offic. Praef.
reſcit diligenter, accurateque marmor inſpicienti: in eo quidem recenſet Q. Caſſius Domitius Palumbus, ordine licet praepoſtero, dignitates,

c. 5.

LXX. p. 798.

CCCCXCIII. 1.

qui-

quibus perfunctus Priſcus Licinius, initio facto ab illis, quas, dum mortem obiit, poſſidebat ſub AVGG. ſcilicet ſub Aurelio, & Lucio Vero, ceterasque poſtea enumerat, quas ab AVG. acceperat, quo T. Aelius Antoninus deſignari videtur, ac demum a Divo Hadriano vexillo militari donatus in expeditione Judaica. Cognomenta iſthaec *Piae* & *Fidelis* Legionem XIII. Geminam conſervaſſe itidem ſub Commodo ex Al-

LVI. 7. bae Juliae marmore liquet.

VICTORIAE
CLIX. 3. ANTONINI AVGVSTI
L. ANNIVS. ITALICVS
HONORATVS LEG
AVG. LEG XIII. G
ANTONINIANAE
PRAFECTVS AERARII
MILITARIS SODALIS
HADRIANALIS. CVM
GLAVDIA TORQVATA
SVA. ET ANNIIS ITALICO
ET HONORATO. ET
ITALICA. FILIIS

Alius fuit ab Lucio Annio Fabiano cui

LEG. AVG
CCCLIV. 5. PRO. PR. PROVINC. DAC
COL.

COL. VLP. TRAIANA ZARMAT
marmor poſuit. Conſulatum geſſit cum M. Nonio Muciano, ut Chronicon Alexandrinum, & marmora teſtantur A. V. C. 954. Chriſti 201. Severi 9. Caracallae Imp. 4. ſed e diverticulo in viam. Antoninus Pius quandoque Antoninus ἁπλῶς dictus, uti ab Junio Mauritiano adpellatus. *Divus Hadrianus in Plotinae, & proxime Imperator Antoninus in Fauſtinae Auguſtae perſona conſtituit*. Quod Antonino Pio convenire exploratum eſt. Alibi etiam *Imperatorem Antoninum* vocat, & in marmore Clauſenburgi Tranſilvaniae

xxxii. 6.
cccx. 6.
cccxiii. 6.
L. 57. π. de Leg. II.
L. 23. π. de uſu, & uſuf.

I. O. M
TRAIANO
PRO. SALVTE. IMP
ANTONINI
ET
M. AVRELI CAES
MILITES CONSISTENTES
MVNICIPII
POSVERVNT
SĪ

xi. 3.

Non negarim tamen in Pandectis Antonini nomen etiam Marco, ac Caracallae tribui ab Jurisconſultis, qui ſub iiſdem Principibus, aut iis proxi-

proxime defunctis vixerunt , vix autem a posterioribus. Ad Antonini victoriam spectare videtur nummus Senatusconsulto in honorem T. Antonini Romae percussus apud C. V. Comitem Mediobarbum , in quo mulier stans , dextra galerum inversum , sinistra labarum tenet , cum epigraphe DACIA . In altera autem parte legitur AE. ANTONINVS AVG. PIVS P. P. COS. II. S. C. id est A. V. C. 892. Christi 139.

2. Antonini Pii Imper. 2. Statua item erecta Antonino Pio a Clodio Sexto praefecto militum Dacorum Jassiorum , ut in marmore patet vico proximo Ulpiae Trajanae

CCLIX. 8. EX VOTO XXX
MAGNO ET INVICTO IMP. CAES
T. AELIO HADRIANO ANTONINO
PIO AVG. PONT. MAX. TRIB. POT
XVI. COS. III. PP. PRO SALVTE. ET
FELICI PONT. MAX ET ANNIAE
FAVSTINAE AVG. CONIVGI. C. CLOD
VI PRAEF M. DACORVM. IASSIOR
HANC STATVAM. IN AVRARIA
NVMINIBVS MAIEST. EORVM

Sextus cognomenti loco positus , ut in marmore

MCXXXII. 3. apud Gruterum

M. CORNELIVS SEXTVS

Mar-

Marquardus Gudius de antiquitatibus cum Graecis, tum Romanis meritus COS. IV. pro III. ponendum putat, quem Antoninus iniit A.V.C. 898. Christi 145. Antonini Pii Imp. 8. sed tunc Faustina demortua, ut ait Capitolinus *tertio anno imperii sui Faustinam uxorem perdidit*. Ideoque frustraneum fuit vota pro ejus salute solvi. At major difficultas nascitur ex anno TRB. POT. XVI. qui respondet A. V. C. 906. Christi 153. Quod non vidit Gudius, vidit tamen Massonius. Dicendum igitur Inscriptionem vel male fuisse exscriptam, aut marmor depravatum, quae libenter eruditissimis viris relinquimus, nam longe ab instituto nostro aberrare non licet. In Ant. Pio, 6.

Magnus Scaliger τὸ IN AVRARIA emendat INAVRARI FE. Sed male, nam Inscriptio indicat statuam Antonino, & Faustinae positam fuisse ad aurifodinas, quas ab Trajani temporibus in Dacia viguisse constat ex alia Inscriptione Schlatniae in Transilvania de Hermia Trajani liberto Aurifodinarum Dacicarum procuratore

D. M DXIV. 7.
M. VLPIO. AVG. LIB
HERMIAE
PROC. AVRARIARVM

Hinc *collegium Aurariarum* in marmore Zalaknae

G I. O.

CXIV. 6.

I. O. M
PRO SALVTE IMPERATORIS
COLLEG. AVRARIARVM
L. CALPVRNIVS
D. D

C. igitur Clodius Sextus praeerat militibus Dacis Jaſſiis, qui metallarios adſervabant, ne aufugerent; ut clareſcit teſtimonio Clementis ſanctiſſimi Pontificis Romani, ubi Chriſtianos hortatur, ut eorum, qui propter nomen Chriſti ab Infidelibus affliguntur, ſi ad ludum, aut ad beſtias, ἢ μέταλλον *aut ad metalla* damnati ſint, curam gerant, καὶ εἰς μισθαποδοσίαν τῶν ϛρατιωτῶν, *ac milites donis cumulent*, ut ab eis alleventur, & curentur. Quin fratribus ἐν μετάλλοις *in metallis* datis pecuniam ac veſtem conferre Eccleſiae Romanae in laudabili more ſemper poſitum fuiſſe fatetur Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus in epiſtola ad Soterem Papam. Lazius tamen vir doctiſſimus ac de Antiquitate benemeritus Legionem XIII. Geminam non ab Antonino Pio, ſed a Marco Aurelio *Antonianam* denominatam arbitratus eſt. Verum ex marmore in Vico Oſtrohienſi Ulpiae reperto ſatis ſuperque refelli poteſt

Conſtit. VI. ap. Euſeb. E. H. IV. 23. in Com. Reip. Rom. p. 624. & 678.

C. RVTILIO. C. F. COCLITI
VIRO. GYMNASIARCHAE
LEG.

LEG. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINI CCCCLXV. 2.
AVG. PROPR. DACIAE HONORVM
OMNIVM. CANDIDATO. PRAEF. LEG.
XIII. G. DONATO. SACRA. CORONA
MVRALI. OB. REM. FORTITER GESTAM
IN EXPEDITIONE. DACICA. S. P. Q.
VLP. TRAIA. SARM. PATRONO
DE. REP. B. M. P.

Cur enim C. Rutilius dicatur praefectus Legionis XIII. Geminae tantum, ſine acceſſione *Antoninianae*, non video, quum ſub M. Aurelio in expeditione adverſus Dacos militaverit. Cui congruit, quod ob ipſius virtutem in eo bello murali corona fuerit donatus. Si enim Legio XIII. Gemina a Marco Aurelio denominata fuiſſet, cur id cognomenti omiſſum in publico monumento a Senatu Populoque Sarmigethuſae Rutilio poſito, qui adhuc vivebat, ac munus graviſſimum Legati Auguſti, & Propraetoris Daciae gerebat? Dacos M. Antoninus vicit anno Chriſti 168., ut habet Euſebius. Ad Marcum Aurelium potius ſpectare videtur Legio VII. dicta ANTONI- CCLX. 14.
NIANA P. FELIX uti ex inſcriptione apud Capit. in Antonin. 9.
Gruterum, in qua Germanicus, & Parthicus denominatur. Neque cognominem a ſe Legionem XIII. Geminam Antoninianam feciſſe vide-

tur Baſſianus Antoninus Severi filius ; nam Antoniniana denominata fuiſſet in marmoribus in Dacia ei poſitis , dum adhuc vitam degebat : quod aliter eveniſſe marmor Albae Juliae oſtendit

VI. 6.

I. O. M. ET
IVNONI. REGIN
PRO. SAL. IMP. M. AVR.
ANTONINI. PII. AVG. ET
IVLIAE. AVG. MATRIS. AVG
M. VLPIVS. MVCIANVS
MILES. LEG. XIII. GEM
HOROLOGIAR. TEMPLVM
A. SOLO. DE. SVO. EX VOTO
FECIT
FALCONE. ET. CLARO.
COSS

Conſules , qui Scaligero crucem fixerunt , ſunt ſuffecti , non ordinarii , ut animadvertit CL. Reineſius . Baſſianus Antoninus ſaepe in Inſcriptionibus Gruterianis M. AVRELIVS ANTONINVS adpellatus , uti etiam in nummo ΚΝΙΔΙΩΝ *Cnidiorum* Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ , ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ *Marcus Aurelius Antoninus , Fulvia Plautilla* ejus uxor Plautiani praefecti Praetorio filia . Ab Antonino Caracalla Legionem VIII. ANTONINIANAE AVGV-

XXXII. 10.
XXXIX. 3.
Dio LXXVI. p. 857.

GVSTAE cognomentum obtinuisse evincit marmor, ubi mentio fit de M. Aurelio CL. Pompejano CVIII. 1.

MIL. LEG. VIII.
ANTONINIANAE
AVG

ut ex Era patet

IMP. D. N
ANTONINO IIII. ET
BALBINO II. COS.

A. V. C. 966. Christi 213. Carac. Imp. 16. Sic Legio XXII. cognominata ANTONINIANA ab Antonino Helagabalo

DEAE EPONAE. M. OPILIVS RESTIO LXXXVII. 4.
MILES LEG. XXII. ANTONINIANAE P.P.F
IMMVNIS. COS. CVRA. SALENS. VICO
SALODOR. DD. XXII. KAL. SEPTEMBR
D̄. N. ANTONINO AVG. II. ET SACER
DOTE. II. COS. V. S. L. M.

Era expressa in Tabula lapidea Romae reperta in qua habetur

IMP. ANTONINO IĪ. ET. SACERDOTE II. CCC.
COS.
P. R. C. ANN. DCCCCLXXII.

id est *post Romam conditam* ann. 972. qui respondet anno Christi 210. Helagabali Imp. 2.

Legio-

Legionem V. Macedonicam in Dacia ſtativa
Ev. p. 564. etiam habuiſſe auctor eſt Dio πέμπτον (τρωτόπεδον) Μακεδονικὸν ἐν Δακίᾳ *quinta* (legio) *Macedonica in Dacia*: inter veteres numerata, nomine a Provincia accepto, ex qua ab Auguſto in Germaniam inferiorem traductam Trajanus in Dacia locavit. Quod adſtruit marmor in Thermis Herculanis, quo Calpurnii Juliani viri Conſularis Legati Legionis quintae Macedonicae mentio fit perhonorifica

LEG. LEG. V. MAC

Monumentum quidem Antiquitatis praeclarum, nam in corpore Inſcriptionum, quas collegit Janus Gruterus, quamvis Legio Macedonica frequenter memorata in marmoribus, raro tamen mentio ipſius facta in iis, quae in Dacia detecta ſunt, nam duas tantum Albae Juliae Inſcriptiones effoſſas offendimus, unam ubi de C. Julio
V. 4. Frontoniano veterano LEG. V. MAC. Alteram
LXVII. 9. de Q. Cornelio Silvanio LEG. V. M. Binas vero reperimus, quae Legionem illam in Moeſia conſiſtentem deſignant. Prima Tarracone, qua M. Valerius Propinquus Grattius nominatus

TRIB. LEG. V. MAC
CCCCLXXXI. 1. IN MOESIA

In al-

In altera autem Firmi in Piceno Lucius Volcatius recenſetur

TRIBVNVS MILITVM LEG V MACEDONICAE. IN MOESIA cccxc. 2.

Sed haec ad Aureliani tempora, vel poſt amandanda, *qui Provinciam Daciam, a Trajano conſtitutam, reliquit*. Plenius haec proſequitur Rufus Feſtus in Breviario: *Trajanus Dacos ſub Rege Decebalo vicit, & Daciam trans Danubium in ſolo Barbariae provinciam fecit, quae in circuitu habuit decies centena millia. Sub Gallieno Imperatore amiſſa eſt, & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duae Daciae in regionibus Moeſiæ ac Dardaniae factae ſunt*. Lactantius *Daciam novam* adpellat, in eam deductis Legionibus XIII. Gemina, & V. Macedonica, quae poſtrema, nam de altera ſupra ſermonem fecimus, per varias praefecturas in Moeſia fuit diſtributa, ut in notitia Imperii, ſub diſpoſitione Ducis Daciae Ripenſis, cujus dignitatis meminit Valentinianus in Leg. XIII. Cod. Theod. *de operibus Publicis*. Vop. in Aurel. 39.

Sub Imperatore Philippo Seniore legionem V. & XIII. adhuc in Dacia Trajani hyberna egiſſe nummi ſub ipſo cuſi ſatis oſtendunt apud Vaillantium Antiquariorum vel facile principem. In

uno

uno enim, ut ceteros praeteream, mulier visitur utraque manu duo

signa militaria tenens notis V. & XIII. insignita, cum epigraphe PROVINCIA DACIA. Sed in alio ejusdem Imperatoris nummo, qui non ad Daciam, sed ad Heliopolim pertinet, figurae duae sunt viriles cum vexillis duobus, & clypeis itidem, quibus innituntur, inscripto COL. HEL. LEG. V. MACED. VIII. AVG. *Colonia Heliopolis Legionum quintae Macedonicae, octavae Augustae*

Num-

Nummus in Heliopoli Phoeniciae Julii Colonia, non vero Aegypti, ut quidam falso opinati sunt, percussus, quae postea *a Divo Severo Italicae Coloniae Rempublicam accepit*. In eam transmissi ab Augusto Veterani ad Coloniae supplementum eodem tempore, quo Berytum quintae Macedonicae, & octavae legionum milites traducti fuerunt. Hinc in nummo Augusti COL. BER. V. VIII. *Colonia Berytus, quinta, octava*, subauditur *Legio*

Ulp. L. 1. π. de Censib.

Duae Aquilae Legionariae, quae ibidem visuntur, Veteranos duarum Legionum in Berytum Coloniam deductos denotant. Nomina Legionum Strabo omisit, quum de Beryto mentionem facit δεδαφαμένη δύο τάγματα ἃ ἵδρυσεν Ἀγρίππας ἐν αὐτῇ *duabus Legionibus ibi ab Agrippa collocatis* anno tertio Olymp. CXCI. V. C. 740. juxta Eusebium, M. Crasso, & Cn. Cornelio Lentulo Coss. uti in marmore Ancyrano: earum nomina nummus

xvii. p. 755.

Auguſti exhibet, Philippi vero ſenioris numiſma veteranos illos Legionum V. Macedonicae, & VIII. Auguſtae partim etiam in Heliopolim urbem ejuſdem Provinciae Phoeniciae deductos fuiſſe manifeſto demonſtrat. Haec ampliore Commentario illuſtravit V. C. Vaillantius.

Praeter Legionem decimam tertiam geminam, & quintam Macedonicam, de quibus ſermonem habuimus, occurrit pariter LEG. G. V. M. *Legio gemina victrix Minervia* in laterculis Thermarum inſcripta, quam in Dacia hyemaſſe veriſimile videtur, ex quo ei praefuit Hadrianus, etenim *ſecunda expeditione Dacica Trajanus eum primae Legioni Minerviae praepoſuit, ſecumque duxit*. Quod adſtruit item marmor priſcum, ubi de Ti. Claudio Vitali BELLO DACICO SVCCESSION. PROMOT. EX LEG. PRIMA MINERVIA. In lapidibus vero apud Gruterum (nam πρόσχεῖρα amplius non ſunt ex ſelecta & copioſa Bibliotheca C. V. comitis Pertuſati, Reineſius, & Sponius) nusquam *gemina*, aut *victrix*, uti in noſtro laterculo legitur, ſed LEG. MINERVIA vel LEG. Ī. MINERV. Nec mirum, ſiquidem & *legiones ex uſu temporis huc illuc mearent, gliſcerent numero, & aliquando minuerentur*. Hanc Legionem Domitianus in inferiore Germania inſtituit,

Spart. in Hadr. 3.

CCCXCI. 4.

DLXVI. 6.

CCCXLVIII. 1.

Tac. An. IV. 5.

ſtituit, ut a Dione traditum Δομιτιανὸς τὸ πρῶτον (στρατόπεδον) τὸ Ἀθηναῖον τὸ ἐν Γερμανίᾳ τῇ κάτω. In altero autem laterculo etiam inſcripta LEG. XIII. G. A. id eſt, *Legio decimatertia gemina Attilii*. Lazius de Antiquitatibus Romanis benemeritus ad Attilium Hiſtrium, qui Pannoniae praefuit ſub Claudio, eam Legionem referendam putavit. Auxiliares etiam copias in Dacia ſtativa habuiſſe compertum eſt ex Inſcriptione in alio laterculo, qui Thermarum pavimentum exornat, in quo ſic habetur:

LV. p. 564.

Com. R. R. V. 20.

VEXILLATIO DACIARVM

Quam expendere ac illuſtrare infructuoſum non eſt, ut allucinationem detegamus clariſſimi Viri Hadriani Turnebi, qui *vexillationem* intelligi tantummodo exiſtimavit de veteranis ſub vexillo retentis, donec praemia, agros acciperent: quo magis etiam indicare pro virili poſſimus ope aliorum marmorum, quibus ex gentibus auxilia iſthaec in Dacia conſtarent. Vexillationes idem ſunt ac vexilla, etenim quam Svetonius *Germanicorum vexillationem*, Tacitus *Germanica vexilla* nominat. Vexilla ſunt vexillarii milites: hinc *vexilla delectorum ex Illyrico, & Aegypto* apud Tacitum, vel ubi de *Germanorum vexillis* mentionem habet, aut de *vexillis inferioris Ger-*

Adverſ. III. 3. & V. 2.

In Galb. 20.
Hiſt. I. 30.
Ann. XV. 26.
Hiſt. I. 70.
I. 53.

maniae . Ex quo evidens eſt vexillorum appellatione ſemper de auxiliaribus copiis intelligi: quo nomine tam pedites, quam equites comprehenſi,
Hiſt. III. 15. An. XII. 38. nam *vexillares cohortes* , quae *legionariis cohortibus* opponuntur , auxiliariae ſunt , uti & *vexillarii e cohortibus* . Vexilla Livio itidem ſunt auxilia: *undecim vexilla ſocium nominis Latini*.
Hiſt. III. 6. XXXIX. Clarius in lapidibus PRAEF. AVXILIORVM Veſpaſiani , & Titi ejus filii tempeſtate, vel DVX
CCCCIII. I. AVXILIORVM ſub Septimio Severo, & Caracalla, PRAEPOSITVS VEXILLATIONIBVS
CCCCVII. I. ſub idem tempus dicitur : unde de auxiliis explicandum marmor M. Aurelii aevo , qui PARTHICVS dictus in nummis, poſitum Lucio Neratio Volcatio Proculo

CCCCXLI. 4. MISSO. AB. IMP.
ANTONINO. AVG. PIO. AD
DEDVCENDAS
VEXILLATIONES. IN SYRIAM
OB BELLVM PARTHICVM

In qua ſignificatione VEXILLATIO DACIARVM uſurpata in noſtro marmore , ut opinamur , auxiliares nempe copiae , quae in Dacia ſtativa agebant , quarum aliquot nomina in la-
CCCCXLVIII. 3. pidibus memorantur : COHORS. I. PANNONIORVM IN DACIA vel COHORS AFRORVM

RVM IN DACIA aut EQVITATVS GAL- CCCCLV. 9.
LORVM IN DACIA. Verum aetate Vegetii, DL. 5.
qui vixit ſub Valentiniano II. cuique opus ſuum
nuncupavit, Vexillationes de equitibus auxilia-
riis tantum dictae: *Equitum alae dicuntur ab eo* II. 1.
*quod ad ſimilitudinem alarum ab utraque parte pro-
tegunt acies, quae nunc VEXILLATIONES vo-
cantur, ab eo quod velis, hoc eſt flammulis utuntur.*
Alarii enim *equites* erant, verum ex ſociis con- Tac. IV. Ann.
ſtabant. Atqui longius ante Valentinianum ve- 73.
xillatio hanc ſignificationem ſortita fuerat ſub
Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, ut
ex Codice Juſtinianeo ſatis perſpicuum eſt, ubi
de Veteranis, *qui in Legione, vel vexillatione mi-* L. 9. C. quan-
litantes: quae deinde Conſtantii Auguſti aevo ma- do prov. non
gis viguit, namque dictum reperitur ibidem, eſt nec.
univerſis tam legionibus, quam vexillationibus. Ac- L. 2. C. de he-
cedunt huc *Vexillationes Palatinae, & Comitaten-* red. Dec.
ſes, id eſt, equites ſub Theodoſio Magno in no-
titia Imperii. Alia tamen eſt vexillatio legionis,
quae de Veteranis accipienda, *qui exauctorati* re-
tinebantur *ſub vexillis, ceterorum immunes, niſi* Tac. An. I. 36.
propulſandi hoſtis. Sic lapidem effoſſum Vallo Se-
veri in Britannia interpretari oportet.

IMP. CAESARI
T. AELIO HADRI CCLVI. 8.
ANO.

ANO. ANTONINO
AVG. PIO. P. P
VEXILLATIO
LEGI. XX. VAL. VIC. E
PER. MIL. P. III

LV. p. 564. De Legione XX. *Valeriana victrice* videſis Dionem, quae ſua aetate, id eſt ſub Alexandro Severo, id nominis non amplius retinebat in Britannia. Eodem modo apud Tacitum *tertiae decimae Legionis vexillum*, aut *vexilla nonae, ſecundaeque, & VICESIMAE Britannicarum Legionum*, vel *Vexillarii trium Britannicarum Legionum*, de Veteranis uſurpabantur.

Hiſt. 2. 24.
III. 22.
II. 100.

Diſquirendum nunc reſtat, qua tempeſtate, aut ſub quibus Imperatoribus Thermae Herculi ſacrae fuerint conſtructae, quumque aliunde auxilium fruſtra quaeramus, praeſtat nonnulla conjectanea deducta ab ipſiſmet marmoribus, quae in Thermis reperta ſunt, in medium proferre, quam rem intactam relinquere. Ubi primum abs Te, VIR EXCELLENTISSIME, certior factus ſum prope fluvium Tſiernam Thermas Herculi ſacras detectas fuiſſe, in ea tunc eram ſententia, ut facile crederem illas ſub Trajano excitatas, quoniam Zernis colonia fuit Trajani: tum quia Trajanus Herculem praecipue colebat,

unde

unde *domus Ulpiorum conſervator* dictus in veteri Inſcriptione ab ipſius liberto poſita

KLV. I.

HERCVLI
CONSERVATORI
DOMVS VLPIORVM
SACRVM
M. VLPIVS
VERECVNDVS

Animo etiam alia ſuccurrebant, quae magis me confirmabant, Trajani vota Jovi, & Herculi ſoluta ob ſubactam Daciam, ac regem ejus bello devictum.

XXIII. 3.

IOVI STATORI
HERCVLI VICTORI
M. VLP. NERVA TRA
IANVS CAESAR
VICTO DECEBALO
DOMITA DACIA
VOTVM SOLVIT

Vota inſuper Herculi facta pro ſalute Trajani, & Marcianae Sororis Auguſti a Colonia Sarmizegetuſa Daciae metropoli

XLVI. I.

DEO HERCVLI
PRO. SALVTE
DIVI TRAIANI
AVGVSTI. ET

MAR-

MARCIANAE
SORORIS AVG
COLONIA DAC
SARMIZ

CCCCXXXVII. 1. Colonia Sarmizegetuſa dicta COL. VLPIA TRAIANA AVG. quae *ejuſdem Juris Italici* beneficio, ac Zernis gaudebat.

Ulpian. L. 1. π. de Cenſ.

Verum inani ſpe deceptum ſtatim me ſenſi, ubi Inſcriptionum exemplar, quae in cellis Thermarum extant, mecum, VIR EXCELLENTISSIME, communicaſti, in quibus nonnulla animadverti, quae ſeculum T. Aelii Antonini Pii potius reſpiciunt, quam Trajani, vel Hadriani, non deſperans, ut quae adhuc latent, & ſub terram ibidem jacent monumenta, in lucem protrahat aetas, e quibus poſſent clariora documenta nobis manifeſtari. In primis marmor in Thermis Herculanis perfoſſum, ac nomen M. Sedati Severiani praeſeferens, ad Antonini Pii ſeculum ſpectare videtur

S. V. C
PRO SALVTE
M. SEDAT
SEVERIANI
LEG. AVG.

Marcus Sedatus Severianus vixit ſub Antonino Pio,

Pio, ut bina marmora apud Janum Gruterum oſtendunt, ac primum Tabula marmorea Palatii nobiliſſimorum Principum Columnenſium, in qua M. Sedatus inter eos recenſetur, qui ad ampliandum templum ſub Antonino Pio pecuniam contulerunt.

M. SEDATIVS C. FIL
SEVERIANVS CXXVI.

Epocha in marmore inſculpta

IMP. CAESARE T. AELIO HADRIANO
ANTONINO
PIO. P. P. IIII. M. AELIO AVRELIO
CAESARE COS.

Id eſt A. V. C. 893. Chriſti 140. ut habet Chronicon Alexandrinum, Antonini Pii Imp. 3. Pergami M. Sedatum cognovit Aelius Ariſtides, ac honoris cauſa Senatorem Romanum deſignat τινὶ τῶν ἐκ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς quem poſtea deinde nominat Σιδᾶτος ὄνομα αὐτῷ βέλτιστος ἀνδρῶν *Sedatus ei nomen erat vir optimus*. Or. ſacr. 1 1. p. 301.

In tabula altera marmorea Oſtienſi, quam exſcripſit vir doctiſſimus Jacobus Sirmondus, nomen M. Sedati etiam inſculptum reperimus. MLXXVII.

M. SEDATVS C. F. SEVERIANVS

Epocha petenda ex Conſulibus, quorum ibidem mentio fit

MV. ACILIO GLABRIONE M. VALERIO HOMVLO COS.

A. V. C. 905. Chriſti 152. Antonini Pii Imp. 15.

Alteram nunc denuo proferamus Inſcriptionem in Thermis repertam ac ſub Antonino Pio poſitam a Valerio M. Felice, qui HERCVLI. AVG. (ita enim deſignatur T. Antoninus , ac eodem titulo gaviſum valde fuiſſe Commodum ejus nepotem e nummis , & lapidibus conſtat) ex voto aram poſuit , ut Epocha Conſulum clare pateſacit

p. 26.

BARBATO. ET REGVLO. COS

A. V. C. 910. Chriſti 157. Antonini Pii Imp. 20.

Cajus Julius Africanus *Barbarum* vocat , non Barbatum : ita Proſper in Chronico , ejusque exſcriptor Caſſiodorus , ac marmor Romanum apud Sponium

DEDICATVS X. K. AVG BARBARO. ET. REGVLO. COS

In Miſcell. ſect. 1. art. 5.

At Panvinius *Barbatum* nominat , quem Leunclavius in Dionis editione κατὰ πόδας ſequitur , cujus ſingulis libris annos Conſulares praefixit ex Panvinii faſtis exſcriptos , quamvis nonnulli oſcitanter ac imperite Dionis fuiſſe exiſtimarint . Sic pariter συναγωγὴ ἱστορικὴ in Chronico Euſebii edita , non auctori Anonymo eſt tribuenda , ut opinatur

tur Johannes Meurſius in *Lectionibus* : verum Joſepho Scaligero , qui Collectionem illam ex auctoribus editis, & nondum editis diligenter concinnaſſe idem ingenue profeſſus eſt . Adde etiam Inſcriptionem aliam , quae Albae nunc extat in palatio veteris tabularii : in ea quippe indicari videntur Aquae Thermales aevo Antonini Pii repertae , de quibus nunc agimus.

In not. ad Euſeb. p. 431.

PRO SALVTE DOMINI NOSTRI SANCTISSIMI ANTONINI PII NYMPHIS NOVIS SACRVM. RVFINVS LEG. XIII. G.

ap. Reineſ. p. 193.

Ubi *Nymphae* idem ac *Lymphae*, vel *Aquae*: quae ſub Thermarum nomine continentur , uti apud Gruterum NYMPHIS SALVTIFERIS , vel NYMPHIS SANCTISSIMIS, vel AQVIS ALBVLIS SANCTISSIMIS . Hic eſt ille Rufinus Laticlavius Legionis XIII. Geminae , cujus meminit lapis inſcriptus ad Vicum Kornesd Ulpiae proximum.

C. CVRTIO. C. F
POLLIA. RVFIN
TRIBVNO. LATICL
LEG. XIII. GEM

ap. Grut. cccc. 1.

Fuit quidem e Tribu Pollia , de qua Livius, & antiquae Inſcriptiones . Idemque , ut opinor , munere deinde LEG. PRI. IMP. ANTON. AVG.

cccxix. 6.

AVG. PII. PROVINCIAE DACIAE functus est.

Hiſce argumentis ſatis declaratum conſtat, Thermas Herculi ſacras aeram antiquiorem Antonini Pii aetate non oſtendere, cujus ob prudentiam in gubernatione Daciae extat monumentum a metropoli poſitum, ac inventum in viculo Kornesd, Ulpiae proximo.

CIXVII. I.

IMP. CAES. ANTONINO
PIO. AVG. COLONIA
SARMIZAEGETHVSA

Non poſſum omittere, VIR EXCELLENTISSIME, quin Tibi breviter exponam, quod quidam vir doctus, ac in Antiquitate verſatus mihi perſuadere conabatur, Simonium Julianum Praeſidem Daciarum Thermas noſtras Herculanas excitaſſe, argumento ducto ex marmore ibidem efoſſo.

HERCVLI. SANC
TO. SIMONIVS
IVLIANVS. V. C
PRAESES. DA
CIARVM

Sed nugatorem lepidum, quem nactus eram, lepide refellendum duxi reſponſo Modeſtini Juriſconſulti: operibus publicis *neque praeſidis quidem*

L. 4. π. de Operib. public.

no-

nomen licebit ſuperſcribere, verum Principis, aut conditoris, qui ſumptus fecerit de ſuo, teſte Macro altero Jurisconſulto lib. 2. de officio Praeſidis: *inſcribi autem nomen operi publico alterius, quam Principis, aut ejus cujus pecunia id opus factum ſit, non licet*. Quin imo Theodoſius Magnus edixit ut *majeſtatis teneantur obnoxii, ſi qui judices perfecto operi ſuum potius nomen*, quam Imperatoris *ſcripſerint*. Conditoribus vero ſi aere proprio opus aliquod molirentur, jus fuit nomina ſua inſcribere, ut praeter Macrum indicat etiam hunc ſui temporis morem Divus Baſilius. Huic accedit, quod marmor noſtrum non Thermarum conſtructionem a Simonio factam denotat, ſed Aram Herculi tantummodo poſitam.

L. 3. π. eod. tit.

L. 31. Cod. Theodoſ. de Operib. pub.

In Pſalm. 48.

Non deſunt tamen in noſtris Thermis pro ſalute M. Aurelii vota Herculi ſoluta, ut ſequens indicat Ara.

HERCVLI. PRO
SALVTE. IMP
M. AVREL. ANTO

Alteram inſuper Aurelio, & Fauſtinae poſitam exhibent Thermae, quamvis marmoris eroſio finem anterioris epigraphes, uti & principium hujus ſubſequentis nobis eripiat.

M. AVREL. FAVS
TI-

TINAE. AVG. MATRI
AVG. ET. CASTRORVM
SVB. CVRA. IVL. PA
TERNI. PROC
SYNTROPHVS
VIL

Anno V. C. 929. Chriſti 176. M. Aurelii Imp. 16. Commodus Aurelii, & Fauſtinae filius, Imperator Auguſtus fuit denunciatus, ut narrat Lam-
In Com. 3. pridius, *cum patre Imperator eſt appellatus quinto Kalendarum Decembrium die Pollione, & Aſpro Coſ.* Etſi aliqui Chronologi ad annum Chriſti 177. Auguſteum Commodi titulum referant. Quocirca tunc temporis, vel paulo poſt lapis poſitus in noſtris Thermis. Fauſtina *mater caſtrorum* dicta ab eodem M. Aurelio, *quam ſecum, & in aeſtivis habuerat, ut matrem caſtrorum adpellaret* teſte Capitolino. MATER CASTRORVM etiam nuncupata in nummo apud Patinum. Extat in ejus honorem lapis inſcriptus, ac inventus in ruinis Warhelii, quo in loco ſita erat Colonia Trajana Dacica Sarmizaegethuſa.

CCLX. 12. FAVSTINAE
AVG
DIVI PII
FILIAE

COL.

COL. SARMIZ

Marco item Aurelio ejus viro ob rectam Daciae gubernationem lapis inſcriptus, inque ruinis Ulpiae Trajanae effoſſus.

IMP. CAES
M. AELIO ANTONINO
PIO. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XVI. P. P
CVIVS. NVTV ET AVSPI
CIIS PROVINCIA DACIA
GVBERNATVR
M. SCAVRIANVS. PR. PR
NVMINI EIVS

CCLIX. 7.

Syntrophus igitur, qui aram M. Aurelio, & Fauſtinae poſuit, ſervus, vel libertus videtur fuiſſe, ut frequenter in marmoribus animadvertimus.

D. M
L. AGRIO
SYNTROPHO
LIBERTO. OPTIMO

DCCCXXX. 10.

Inter officia Domus Auguſtae munus Villici in marmoribus paſſim recenſetur a Servis, vel Libertis adminiſtratum.

FELICI. CAES. SER
VILLICO. HORTORVM

DCII. 2.

MA-

MAIANORVM

MLXX. 8. Hinc pariter HIGINVS. SER. VILLICVS, vel
LXII. 10. AMPLIATVS SER. VILLICVS. Procurator aliquando dictus Titi Augusti aevo

MCXII. 2. T. FLAVIVS AVG. L
EPAPHRA
PROC. VILLARVM
TVSCVLANARVM

Verum aliqui mirabuntur, quod in nostro marmore servi nomen, vel cognomentum inscriptum non inveniatur. Sed animum oportet ad priscos Romanorum mores advertere, qui persaepe appellativis nominibus servos nominabant, ut in Plauto, & Terentio perspectum est, qui Diphili, ac Menandri Comoedias latine fecerunt: Quod ex marmore apud Gruterum etiam confirmatur

DCCLXIV. 8. SYNTROPHO. L.

Syntrophus nuncupatus VILLICVS, quod tam *rei rusticae, quam rationibus fundi* praefectus erat. Clarius in lapidibus, Coelius Herodianus dicitur VILLICVS IN HORTIS SALVSTIANIS. Attamen Villicus ad Praefectos quoslibet solet transferri: sic

Scaevol. in L. 31. π. de adim. legat.

CCII. 4.

DCXL. 10. EVTYCHES VILLIC
A PLVMBO

a Sal-

a Salmaſio *procurator* plumbi exponitur : idemque denotat VIL. AB. ALIM. alibi enim legitur PROC. AVG. AB. ALIMENTIS . *Villicus aerari* Tibullo eſt praefectus aerarii , ſic Juvenali *villicus urbi* . Syntrophum praepoſitum fuiſſe hortis Aurelii veriſimile videtur , quos a Domitia ejus matre hereditate acceperat , in iis natus atque educatus , ut narrat Capitolinus : *natus eſt Marcus Romae in Monte Coelio in hortis , & educatus in eo loco , in quo natus eſt* : iidemque poſtea *horti Commodiani* dicti , quum ad Commodum ipſius filium fuerunt delati : ſic ut ad Aurelium , & Commodum Auguſtos ſpectare videatur antiqua haec Inſcriptio Romana

In Lampridi Alex. Sev. 15.

LXXXIII. 9.

CCCCLVII. 10.

IV. 14. 1.

Sat. IV. 77.

Spart. in Peſc. Nig. 6.

FVSCVS AVGG
NOSTRORVM
VERNA
VILLICVS
TVTELAE
VOTVM
REDDIDIT

MLXXV. 5.

Quid vero PROCVRATORIS abſoluto nomine intelligatur in lapidibus in Dacia detectis , operae pretium eſt nunc explicare . Julius Paternus in noſtro marmore *Procurator* nuncupatus , quoniam aurariis Daciae erat praepoſitus.

Sic enim binas inſcriptiones in Tranſilvania repertas interpretari oportet.

I. O. M.
T. AVRELIVS
DIOCLES
PROC
V. S. L.

In altera vero Inſcriptione haec habentur

IV. 8. I. O. M. IVNONI REGINAE
MINERVAE. OMNIBVS
DIS. IMMORTALIBVS
Q. AXIVS. AELIANVS. VE. PROC
AVG. ET. AELIA ROMANA
EIVS CONI

Quibus adjicienda haec alia in Coloswar Tranſilvaniae pariter detecta aetate Lazii

XXXIX. 11. FORTVNAE
AVG
C. AVRELIVS
ATILIANVS
PROC. AVG

XXIV. 7. Aliquando tamen expreſſum invenitur, ut de M. Ulpio AVG LIB. (Trajani ſcilicet) PROC. AVRARIARVM in lapide Tranſilvaniae, vel Albae Juliae de Aviano AVG. LIB. SVBPROC

IV. 4. AVRARIAR. Curae, ac diligentiae Julii Paterni,

ni , ut ara collocaretur in Thermis , a Syntropho fuit demandatum . Quod paſſim antiquis in marmoribus viſitur , e quibus unum tantummodo adducere libet , Aurelii Muciani viri perfectiſſimi praefecti Praetorio.

HERCVLI. STATVAM MLXIX. 9.
CVM. BASE. AVRELIVS
MVCIANVS. V. P. P. PR
PRO. SALVTE. SVA. SVO
RVMQVE OMNIVM
POSVIT. CVRANTE
GERONTIO

Atqui illuſtriore ornamento Thermas noſtras Herculanas condecorat votum C. Julii Galli Conſularis viri Legati ac Propraetoris Daciae Herculi factum , & arae inſculptum pro ſalute Auguſtorum Septimii Severi , & Antonini filii , qui Caracalla cognominatus.

HERCVLI
PRO SALVTE IMPE
RATORVM SEVERI
ET ANTONINI F. CONSER
VATORI AVGVSTORVM
DOMINORVM NOS
TRORVM C. I. GALLV
S. C. V. LEGATVS EORVM

PR PR. CVM SVIS
V. S. L. M.

Lapis positus, ut opinor, anno V. C. 951. Christi 198. Imp. Severi 6. Saturnino, & Gallo Consulibus, quo Tribunatus potentiam, *quae pars maxima regalis imperii est*, ac titulum Augusti Antonino filio suo Severus concessit, vel paulo post positus. Votum Herculi solutum, non ob salutem ope Thermarum Imperatoribus restitutam, sed quod ipsis virtutem dederit, ac victoriam largitus fuerit ad debellandos Nigrum, & Albinum populi Romani hostes ac Tyrannos. Hercules namque σώτηρ *salutifer* dictus ex sententia Dionis Chrysostomi, quod tyrannos everteret: quive etiam Aristidi adpellatus τὺς δὲ τυράννους αἴρων *tyrannos de medio tollens*. Sic & Pythagoras σώτηρ *servator* dictus, quod suis consiliis Siciliam crudelissima Phalaridis dominatione liberaverit κατὰ τὴν τῦ Ἡρακλέους δίκην καὶ ἀνδρείην *Herculis ritu & virtute*. Nisi dicere velimus C. J. Gallum preces Herculi fudisse, sacraque fecisse, ut Imperatores in expeditionibus custodiret, a periculis tutaretur, ac incolumes, reducesque restitueret. Vovebant enim milites, ut mos erat in expeditionibus, pro salute Augustorum, ac postea regressi vota persolvebant, ut in voto apparet

Vopisc. in Tacit. 1.

Or. 1. p. 17.

Or. in Hercul. p. 57.

Jambl. in Vit. Pyth. p. 180. ed. Amst.

Her-

Herculi facto, & post reditum soluto pro salute M. Aurelii Antonini, & M. Aurelii Alexandri nobilissimi Caesaris ab aliquibus cohortis Praetoriae Piae Felicis

QVOD XLVI. 10.
PROFICISCENTES EXPEDITIONIBVS
SACRIS REGRESSI
CVM COMMANIPVLIS. LIBENTES
VOTVM SOLVERVNT

Hercules enim inter Viales Deos accensebatur, ut indicat Inscriptio, quam vulgavit V. C. Georgius Graevius. In praef. tom. x. Thes. A.R.

HERCVLI COMITI
CONSERVATORI SACRVM
L. AEL. L. F. ESQ. PENIO
MILES COH. VI. VIG. EX. V. P.

Cui addas licet hanc alteram ex Gruteri Thesauro

HERCVLI DEFENSORI XLV. 12.
PRO. REDITV. ET. ITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI CAESARIS

Septimius quippe Severus expeditiones contra Nigrum, Osrhoenos, Adiabenos, & Arabes suscepit sub auspiciis Herculis tyrannorum domitoris, & Bacchi victoris Orientis, quemadmodum ex nummo colligitur.

Cum

Cum epigraphe DIS AVSPICIBVS TR. P. III. COS. II. P. P. in quo Hercules cum clava, & cum exuviis Leonis, & Bacchus dextra vas, ſiniſtra haſtam tenet, nudi ſtantes, in quorum medio Tigris: quibus Diis νεὼν ὑπερμεγέθη ὠκοδομήσατο *permagnum templum aedificavit*. Sub Herculis effigie Septimius Severus in nummo viſitur ϐλόθριξ, μεγαλοπώγων *criſpus*, *barbatus*, ut eum deſignat Johannes Malela. Nummus percuſſus A. V. C. 947. Chriſti 194. Coſſ. Severo, & Albino Caeſare, Severi Imp. 2. Aliud votum Herculi ſolutum a Calpurnio Juliano Legato Auguſti ac Moeſiae Superioris Propraetore exhibet marmor in noſtris Thermis pro ejus recuperata ſalute, quoniam non modo Herculi, ſed Genio loci, ac calidis fontibus ob aquarum ſalubritatem votum etiam ipſe perſolvit.

Dio LXXVI. p. 869.

p. 383.

HERCVLI. GENIO
LOCI. FONTIBVS

CA-

CALIDIS CALPVR
NIVS IVLIANVS
V. C. LEG. LEG. V. MAC
LEG. AVG. PR. PR
MOE. S
V. L. S.

Balnea Herculana ſemper de calidis; de frigidis nunquam dicta, ut adſerit Ariſtophanes InNub. 1047.

πῦ ψυχρὰ δῆτα ποτ' εἶδες Ἡράκλεια λετρά;

Et ubi Tu unquam frigida vidiſti Balnea Herculana? Lavacra τὰ ἥδυσα Ἡράκλεια ἐπωνυμίαν ἔχοντά ἐσι *quaecunque ſunt ſuaviſſima, Herculis habent cognomen,* calida ſcilicet, quibus uſus Hercules. Strabo de Aedepſo in Euboea hac habet ὅπε τὰ θερμὰ τῦ Ἡρακλέες *ubi calida ſunt Herculis lavacra*. Nam haec exordia concoctioni praebent, occultas membrorum defatigationes mitigant, ſpirandique facilitatem exhibent. Contra autem frigida internis partibus damnum adferunt, meatibus obſiſtunt, humores cogunt, vaporesque condenſant, qui ſemper laxari, & digeri ſuapte natura cupiunt, ut docuit Plutarchus in laudatiſſimo opuſculo de ſanitate tuenda. Huic accedit marmor in Campania de Thermis, quae ab Hercule ob eandem rationem ſunt denominatae. Arist. or. in Herc. p. 63. IX. p. 425.

FABIVS. MAXIMVS. RECTOR XLIII. 6.
PRO-

PROVINCIAE. THERMAS HERCVLIS. VI. TERRAEMOTVS EVERSAS. A FVNDAMENTIS RESTITVIT

De aquis ſalubribus Montis Tifatae non longe a Capua, ubi Sulla Norbanum fudit, explicanda, ut opinor, Inſcriptio, C. Vellei Paterculi teſtimonio firmata, qui eas *aquas ſalubritates, medendisque corporibus nobiles* laudat. Fabius vero Maximus, alter ab illo qui unus cunctando rem reſtituit, Auguſti temporibus floruit, Ovidiique clariſſimi Poëtae fuit amiciſſimus, quem *ſidus Fabiae gentis* nominat. Ab Hercule genus trahebat, namque Fabii *Herculeae ſemina gentis* dicti: idcirco Thermas Herculis, quem gentis ſuae auctorem habebat, diligentius reſtituiſſe videtur. Sed haec obiter, nunc ad propoſitum redeat oratio. Calidi fontes, qui e terra erumpunt, Herculi a veteribus ſacri ſemper ſunt habiti, ut tradit Athenaeus τὰ θερμὰ λυτρὰ τὰ φαινόμενα ἐκ τῆς γῆς Ἡρακλέους εἶναι τὰ ἱερὰ *calidas aquas, quibus lavamus, e terra ſcaturientes Herculi ſacras* exiſtimavit Antiquitas. Ad quod reſpexiſſe primus omnium videtur Ariſtoteles, ubi ex ſuperiorum ſententia pronunciat θερμὰ λοτρὰ ἱερὰ *calidas balneas ſacras*. Hinc eximiam aquam dixere, quae non igne, ſed ſponte caleſcit.

II. 25.

Epiſt ex Pont. lib. III. ep. 3.

Faſt. II. 27.

XII. p. 512.

Probl. ſect. 24. p. 19. ed. Aur. Allob.

Anthol. IV. 19.

Οὐ γὰς ὑπὸ βροτέῳ πυρὶ θάλπεται ἀγλαὸν ὕδωρ
Αὐτομάτη δὲ λιβὰς τίκτεται αἰθομένη.

Calidis lavacris uſum Herculem ferunt, cui boves Geryonis per Siciliam agenti ſcaturire fecit Minerva, non vero Vulcanus, uti voluit Ibicus, ut feſſas longo itinere vires, in iis lotus, recolligeret. Sic explicandus Sophocles in Trachiniis, ubi chorus adloquitur

Schol. Ariſtoph. in Nub. 1047.

Ὦ ναύλοχα καὶ πετραῖα
Θερμὰ λυτρὰ

Ed. P. Steph. p. 652.

O maritima, & ſaxoſa calida lavacra, Sicula nempe, ut aliqui viri graviſſimi opinati ſunt apud Scholiaſtem ἔνιοι δὲ ἐν Σικελίᾳ φασὶν ἀναδοθῆναι τῷ Ἡρακλεῖ θερμὰ λυτρὰ, non vero in monte Oeta, ut Piſander Rhodius ſtatuebat, qui, ut nonnulli opinantur, Olympiade XXXIII. floruit, ac duobus libris Herculis geſta verſibus expoſuit. Hinc propter ἡμερίαν & deſideratam recreationem, Urbs ἡμέρας *Himerae* in Sicilia nomen accepit, niſi id nominis, ut placuit Samueli Bocharto, deducere velimus ab חמר *incaleſcendo*: unde in Chaldaica Paraphraſi Jobi מעי המרמרו *viſcera mea incaluerunt*, quum in Codice Hebræo רתתו habeatur, quod de aquis ferventibus uſurpatur. Univerſa, quae praedixi-mus, copioſe probat nummus apud Goltzium, in quo Hercules viſitur in lavacro, adſtante Mi-

At. XI. p. 469.
Strab. XIV. p. 655.
Job. XLI. 22.
Ezech. 24. 5.

nerva , quae ſacris operatur , cum epigraphe IMEPAEΩN *Himeraeorum* .

quem nummum pro ſingulari benevolentia , ac humanitate mihi indicavit Excellentiſſimus D. Carolus Pertuſatus Antiquitatis callentiſſimus , Caeſaris a Conſiliis Aulae ſecretioribus , Praefectus Praetorio Mediolani , ac itidem Magnus Cancellarius . Qua de re Pindarus Ergotelem Himeraeum collaudat ab ejus patria Himera Thermis conſpicua

Olymp. Od. 12. Θερμὰ Νυμφᾶν λετρὰ βαθάζεις *calida Nypharum balnea extollis* . Colonia fuit Auguſti , & Himeraei ob Thermas dicti Thermitani

CCCCXXXIII.6. ORDO. ET POPVLVS SPLENDIDISSIMAE. COL. AVG. HIMERAEORVM THERMIT.

Hinc Hercules dictus *ſalutifer* , eidemque ob *recupe-*

cuperatae valetudinis beneficium vota ſoluta in binis marmoribus e Thermis erutis

HERCVLI
SALVTIFERO
Q. VIBIVS. AMILLVS
AVG. COL. DAC
PRO SALVTE
IVLIANI FILII SVI

Altera Inſcriptio ſic ſe habet

HERCVLI
INVICTO
P. CLAVDI
VS IVLIVS
COL. ED. O
B.R.V.B.V.S

SALVTIFER dictus Hercules ex Ethnicorum ſententia, quoniam omnibus, qui ipſum invocant, opem fert, atque auxiliatur. Ariſtides ὦ Ἡράκλεις βοῶντϖ ἐπὶ ἅπαντι τῷ χρείᾳ ἰσαμένῳ *in quavis neceſſitate ei, qui Herculem invocat, adeſt*: mala item, & adverſa propellit: ob id in Melita Atticae pago, ubi ei templum poſitum, ἀλεξίκακϖ *malorum depulſor* vocabatur. Heſychius καλεῖται ὁ ἐν Μελίτῃ Ἡρακλῆς ἀλεξίκακϖ. Et in marmore apud Gruterum ΘΕΩΙ ΑΛΕΞΙΚΑΚΩΙ. A Cois Ἄλεξις adpellatus adnotante Ariſtide Κῶοι γὰρ Ἄλεξιν τὸν Ἡρακλέα νομίζουσι. Aliis

p. 62. Schol. Ariſtoph. in Ran. 233. xlii. 12.

vero ἀποσρόπαιος *averruncus*. In noſtro marmore SALVTIFER denominatus ob calida lavacra, quae ſanitatem reſtituunt, morbosque depellunt, quibus homines vexari ſolent. Quod de Aquis ſalubribus novum ac inauditum non eſt in antiquis marmoribus.

XCIV. I.

NYMPHIS SALVTIFE
RIS SACRVM
M. LVCILLIVS LVCILI
ANVS. AVG. COL. PRO
SALVTE. SVA. ET
L. ANTISTI. ONE
SIMI. AVG. COL
V. S. L. M

Et in alio, quo P. Aelius Marcellinus natione Britto aquis balnearibus e lethali morbo ſe liberatum profitetur.

2.

NYMPHIS
SANCTISSIMIS
P. AELIVS. MARCE
LLINVS. SIGNIFER
ET QVESTOR. N. BRIT.
MORTIS PERICVLO LI
BER. V. S. L. M.
IMP. COMM. AVG
FELICE V. ET GLABRIONE
IT.

IT. COSS.

Id eſt A. V. C. 939. Chriſti 186. Commodi Imp. 11. 7. Herodianus laudat Glabrionem omnium 11. 3. Patriciorum nobiliſſimum, eundemque iterum Conſulem nominat. Salutifer Graece σώτης *is enim eſt Soter, qui ſalutem dedit*, inquit Tullius. Neque minus ſalutifer putabatur Hercules, quam Aeſculapius, & Hegia, qui σωτῆρες adpellati

LXVIII. 5.

ΑCΚΑΗΠΙΩ
ΚΑΙ ΥΓΕΙΗ
CΩΤΗΡCIN

Hercules namque ἰατρικὸς *medicinae peritus fuit*, ac Plut. amat. poſt obitum, numen ejus τοῦτο δὲ ἐν Μεσσήνῃ τῆς Σικελίας p. 761. νόσων τε ἁπασῶν ἐκλύεται *in Meſſana Siciliae morbos omnes* p. 57. *curat*, uti de ſuis temporibus dicebat Ariſtides, qui ſub Antoninis vixit. Ob eandem rationem & Medici σωτῆρες denominati, ut Panacius apud Ariſtaenetum, quem σωτῆρα τὸν ἄνδρα πεφυκέναι *ſervatorem virum vocarunt*. De Hippocrate etiam in Anthologia dictum I. ep. 13. XXXIX. 1.

Καὶ σώιετο λαῶν
Ἔθνεα

Et ſervabat populorum coetus. Verum nullum majus beneficium, ac praeſtantius commodum mortalibus conferre poterat Hercules, quam calidarum balnearum uſum eos edocere, quas non immeri-

VI. de leg. p. 761. ed. H. S. merito Plato pharmacis anteponit. At Pindarus in ea fuit ſententia, quod

In Nem. Od. IV.

Θερμὸν ὕδωρ τόσον
Γε μαλθακὰ τεύχει
Γῆα

Calida aqua tantum mollia facit membra. Majores tamen dinumerat utilitates θεῖος Hippocrates

De Rat. Vict. in morb. acut. p. 395. edit. Foël.

καὶ γὰρ ὀδύνης τῆς κατὰ πλευρὴν, καὶ πήθεα, καὶ μετάφρενον, παρηγορικόν ἐστι τὸ λυτρὸν, καὶ πλυέλῳ πεπαντικὸν, καὶ ἀνάγωγον, καὶ εὔπνοον, καὶ ἄκοπον. μαλθατικὸν γὰρ καὶ ἄρθρων καὶ τῷ ἐπιπολαίῳ δέρματος καὶ ὑρητικὸν δὲ, καὶ καρηβαρίην λύει καὶ ῥῖνας ὑγραίνει. *nam lateris, pectoris, & dorſi dolorem balneum mitigat, ſputum maturat, educit, & facilem ſpirationem reddit, & laſſitudines tollit, cum articulos, & extimam cutim emolliat, urinas provocat, capitis gravitatem ſolvit, & nares humectat*. Niſi affirmare velimus, Pindarum Philoſophum Pythagoreum, ut ipſum Clemens Alexandrinus adpellat, haec eadem intellexiſſe, ac breviter ſignificaſſe, quae copioſiſſime poſt explanavit Hippocrates, Aquarum calidarum ope fibras relaxari, unde oportet, ut majore facta vaſculorum diametro, liquores liberius, & velocius fluant, totumque corpus pervadant, atque irrigent.

Strom. v. pag. 255. ed. Oxon.

At nobiliora & praeſtantiora in curandis morbis balnea ſunt calida, Herculana dicta, quae e ter-

terra exiliunt , nam quum particulis metallorum ſint referta , majori vi vel corpus emolliunt , vel magis roborant , ac firmant , de quibus Graeci Scriptores perſaepe ſermonem inſtituerunt : in primis quae in Oeta Herculi ſcaturire fecit Minerva ad oram maris , ut Piſander contendit

Herod. VII. p. 176.

Τῷ δ' ἐν Θερμοπύλῃσι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Ποίει θερμὰ λετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης.

Ap. Schol. Ariſtoph. in Nub. 1047.

In Chalcite regione , a qua Promontorium ſe in Pelagus porrigit , Pauſanias auctor eſt , marinarum aquarum ſcatebras λετρὰ *calidas balneas* edidiſſe μάλιστα τῶν ἐν Ἰωνίᾳ λετρῶν ὠφέλημα ἀνθρώποις *quae in Joniis ſunt aegris maxime utiles* . Quibus adjungit Lebediorum etiam calidas balneas θαῦμα ἀνθρώποις ὁμοῦ καὶ ὠφέλεια *hominibus adprime admirandas aeque ac ſalubres* . Antiquae pariter ac celebres θερμὰ λετρὰ *aquae calidae balneae* Methenanſes in Peloponneſo , quas , Antigono Demetrii filio in Macedonibus regnante , erupiſſe traditum eſt . Antigonus obiit A. M. 3762. quum in Macedonia quatuor & triginta annos regnaſſet . Quid referam Phazemonitarum Thermas ſupra Amaſenum agrum ὑγιεινὰ σφόδρα *admodum ſalubres* ? Quid Bajanas ? πρὸς θεραπεύειν νόσων ἐπιτήδεια *ad morborum ſanationem idoneas* . Quid de Pythecuſae , ſeu Iſchiae Thermis dicam ? θεραπεύειν τοὺς λιθῶντας *quibus ſanantur qui calculo laborant* . Antiquis

In Achaic. p. 535. ed. Lipſ.

In Corinth. p. 190.

Strab. XII. p. 560.

V. p. 244.

p. 248.

IV. p. 190. quis Oneſiae ſimiliter aquae in Aquitania πάλλιστα ποτιμωτάτυ ὕδατος *praeſtantiſſimae, aqua ad potum optima*. Ex quo habent, qui medicinam faciunt, ut uſum aquarum, quae per metalla tranſeunt, veteribus fuiſſe incognitum ſibi non perſuadeant. V. p. 227. Quid de Therinis in Hetruria? quae Bajanis non Plin. V. 15. cedebant. Quid de Tiberienſium *aquis calidis*? quae tantae fuerunt nobilitatis, ut eas in numAp. Noriſ. de ep. Syro Mac. p. 465. mo Trajani inſculpſerint cum Epigraphe ΚΑΛΟΥΔΙΟΤΙΒΕΡΙ. ΕΤ. ΑΠ. *Claudio-Tiberienſium. Anno LXXXI.* Verum ut reliquas ſilentio praetermittam, quae quamplurimae ſunt, non omittam tacitus, VIR EXCELLENTISSIME, calidas balneas, quae in Tua celeberrima ac docta Britannia olim permagni erant nominis, ut θερμαὶ λυτραὶ Ptolemaeo fuerint nominatae, Antonini vero Itinerario, Solin. Polyh. 22. *Aquae Solis*, quoniam ipſi, & Minervae ſacratae erant, ubi praeclara Civitas *Bathonia* a balneis nomen, & decus adhuc ſervat. Quapropter Imperatores Auguſti, ut populorum commoditati, ac ſaluti proſpicerent, ad ſplendidas Thermas exſtruendas in oppidis, ac civitatibus Imperii animum intenderunt. Nam Septimius Severus Antiochiae exſtrui curavit Johan. Malel. p. 388. δημόσιον λυτρὸν μέγα παρὰ τὸ ὄρος ὃ ἐπεκάλεσεν εἰς ὄνομα αὐτοῦ Σεβηριανὸν *balneum publicum Aquarum ſua ſponte calidarum ad montem, quod*

quod a nomine ſuo Severianum vocavit : ejuſdem naturae fuiſſe aliud Epheſi in Aſia ab Antonino Pio prius excitatum ſuſpicamur. Quam liberalitatem civitatibus ſibi ſubjectis largiri non deſtiterunt, qui ſequioribus ſeculis Imperatores vixerunt: unde Conſtantinus Magni filius

THERMAS. FISCI. SVI. SVMPTV A FVNDAMENTIS. CEPTAS. AC PERACTAS CIVITATI. SVAE. REMORVM. PRO. SOLITA LIBERALITATE. LARGITVS. EST CLXXVIII. 1.

Julius item Conſtantius, & Julianus Thermas Spoletinas reſtituerunt, ut ſequens nos edocet marmor.

THERMAS SPOLETINIS IN PRAETERITVM. IGNE CONSVMPTAS SVA LARGITATE RESTITVERVNT CLXXIX. 2.

Privati etiam viri oppidis, municipiisque Thermas ſuis impenſis aedificatas donarunt, uti Ocriculanis in oppido Umbriae fecit L. Julius Julianus

IVLIAE LVCILAE
L. IVLI. IVLIANI. FIL.
PATRONI. MVNICIPI
CVIVS PATER
THERMAS OCRICVLA
NIS. A SOLO. EXTRVCTAS
M SVA. CCCXXII. 9.

SVA. PECVNIA. DONAVIT
DECVR. AVG. PLEPS
L. D. D. D

In Dacia pariter P. Aelius Gemelus V. C. a ſolo extruxit Balneum, uti Ara e veteris Apuli ruderibus effoſſa anno 1622. oſtendit.

Ap. Reineſ. p. 67.

FORTVNAE
AVG
SACRVM
P. AELIVS GEME
LVS. VIR CLA
RISSIMVS
PERFECTO. AB. SOLO BALNEO
CONSACRAVIT.

INVICTVS etiam Hercules in noſtris Thermis adpellatus

HERCVLI IN
VICTO L. POM
PEIVS CELER
PRAEF. COH
I. VBIORVM V. S

Celeris cognomen in Inſcriptionibus Militaribus haud ignotum eſt apud Gruterum.

ccccLxxiv. 4.

I. O. M.
L. OCTAVIVS
CELER. PRAEF.
COH.

COH. VII. BREV

Et alibi

CN. ARVNTIO CN. F. CELERI
PRAEF. COHORTIS
LVSITANORVM

CCCLXVI. 5.

Paſſim in marmoribus Hercules INVICTVS adpellatus, quoniam prae omnibus fuiſſe robuſtum ac fortem ferunt: unde Graecis Poëtis Βίη Ἡρακλείη. Nam, ut inquit Ariſtides, Βίᾳ μὲν γὰρ ἀῤῥίκτῳ ἔδεν αὐ- P. 57.
τὸν ἐξέφυγε τῶν ἐγχειρηθέντων *prae robore quidem ipſius, nihil poterat ejus manus effugere*. Qui hymnis Herculem celebrabant, ipſum deprecari mos fuit, ut fortitudinem eis largiretur

Χαῖρε ἄναξ Διὸς υἱὲ, δίδου δ' ἀρετλώ τε καὶ ὄλβον. Hom. hym. in Her.

Quumque ob robur ſemper victor evaſerit, idcirco καλλίνικος *victoriis pulcher* & egregius denominatus. Quod ſoli Herculi adſertum, ut affirmat Ariſtides εἰ τοίνυν ἐπωνυμίαι καλλίνικός τε καὶ ἀλεξίκακος, ἡ μὲν, P. 62.
μόνῳ θεῶν, ἡδ' ἐν τοῖς πρώτοις δεδόται *Callinici praeterea, & Alexicaci cognomina partim ſoli, partim prae ceteris illi tribuuntur*. Apud Gruterum

Plut. de exul. p. 607.

ALCIDES HOMINVM. VICTOR
DOMINATORQVE FERARVM

XLIII. 7.

Quoniam vero cunctos, ut diximus, robore, ac fortitudine ſuperabat, ἀλκῆς σθένεως *roboris ac virium praeſes*, & ΠΡΩΤΟΣ ΑΓΩΝΙΣΤΗΣ *primus loctator* nuncu-

Athen. XIII. p. 561.

patus in Columnis Farneſianis, in quibus Herculis res geſtae enarrantur, ac ejus ſignum in Palaeſtris poſitum. Quin ΓΥΜΝΙΚΟΥΣ ΑΓΩΝΑΣ *ludos gymnicos Herculi, & Mercurio dicatos* indicat columella marmorea An. 1540. in portu Anconitano reperta

Pauſ. in Meſſen. p. 356.

CCCXXVII.

ΤΟΥΣ ΤΕ ΤΩΙ
ΕΡΜΕΙ ΚΑΙ ΗΡΑΚΛΕΙ ΤΙΘΕΜΕΝΟΥΣ

Aliquando Gymnici Ἡρακλείους ἀγῶνες *ludi Herculei* dicti, uti apud Pollucem.

III. 155.

SANCTVS etiam nuncupatus Hercules in ara altera Thermarum

HERCVLI. SANC
TO. SIMONIVS. V. C
PRAESES DA
CIARVM

At SANCTISSIMO in marmore Gruteriano. Cur vero *Praeſes Daciarum* Simonius dictus, quum in nummis, ac in lapidibus inſcriptis *Dacia* legatur, dubitationem omnem tollit Johannes Malela, qui de Trajano haec ait ἐπαρχίας δύο *provincias duas* ultra Danubium conſtituit ἄσινας ἐκάλεσε Δακίων πρώτην καὶ δευτέραν *quas Daciam primam & ſecundam vocavit*. Quod etiam confirmat lapis in atrio Bibliothecae Caeſareae, ubi habetur

XLVIII. 8.

p. 362.

GENIO DACIARVM

Sic etiam in uno ex laterculis, quibus ſtructum

Ther-

Thermarum pavimentum, inſcriptum legitur DACIARVM VEXILLATIO.

Ulpianus quoque *Dacias* appellavit, ubi de *Praeſidibus Daciarum* loquitur. L. VII. ff. interd. & r. & deport.

Balnea tantis ornabantur ſtatuis, ac marmoribus, ut ſe continere non potuerit Seneca, quin exclamaret *quantum ſtatuarum, quantum columnarum?* Aeſculapii, & Hygiae ſignis Hippias celebris Architectus Graecus Balneum ſuum conde- Epiſt. 86.
coravit, nullis impenſis, ac ſumptibus parcens in comparandis marmoribus permagni pretii. Ejus conſtructionem diligenter, ut ſolet, Lucianus deſcripſit in opuſculo, cui nomen ΙΠΠΙΑΣ. Signum etiam Cupidinis in Graecorum λυτροῖς *balneis* collocabatur. Theocritus

λαϊνέας δὲ
Ἵσατο ἀπὸ κρηπίδος Ἔρως, ὑδάτων ἐφύπερθεν. Idyl. XXIII. 59.

Nam lapideus ſtabat ex baſi Cupido eminens *ſupra aquas*. Unde lux affulget marmori Hiſpanico.

ET BALINEVM SOLO. SVO. CVM. PISCINA. ET SIGNO CVPIDINIS. CLXXIV. 8.

Etruſcus Thermas ſuas ſplendidis lapidibus conſtruxit, de quibus Martialis

Illic Taygeti virent metalla, VI. 42.
Et certant vario decore ſaxa,

Quae

Quae Phryx, & Lybis altius cecidit.
Siccos pinguis Onyx anhelat aestus,
Et flamma tenui calent Ophitae.

Herculis statuae in cellis nostrarum Thermarum, quae *χιζίων, νευρώδη quadratum, & nervosum* ipsum ostentant, septem numero sunt, quatuor integrae, tres vero mutilatae, quas non magno artificio aestimat Daniel Antonius Bertolus rei antiquariae peritus, cui parem in arte delineandi imagines aetas nostra non vidit. Arae etiam votivae septem, quas ab antiquissimis temporibus collocari solitas in Thermis Herculanis ex Herodoto colligimus, ubi de balneis calidis Oetae *καὶ βωμὸς ἱδρυται Ἡρακλέος ἐπ' αὐτοῖσι & prope illa est ara Herculi extructa*. Herculem coronatum alba fronde populea bina signa exhibent, quam e Thesprotide primum in Graeciam intulisse ferunt. Amnis Acheron Thesprotidem alluit, idcirco *populum albam* Homerus denominavit

Dicaearch.ap. Clem. Alex. in Cohort. ad Gent. p. 9.

VII. p. 176.

Iliad. xv. 482. Ἀχερωΐδα

Ἤριπε δ' ὡς ὅτε τὶς δρῦς ἤριπεν, ἢ ἀχερωὶς

cecidit sicut quercus aliqua cecidit, vel populus alba. Exemplo Herculis Teucer

Tempora populea fertur cinxisse corona.

Hor. II, Od. 3.

Graecis fuit in deliciis, quum Bacchanalia celebrarent: unde Demosthenes *pro Ctesiphonte* exprobat Aeschini, quod τῇ λευκῇ *alba populo* coronatus per

urbem

urbem choreas duxerit intemperatiores. Athletae etiam populum albam propter Herculem geſtabant. Artemidorus μόνη δὲ λευκὴ ἀθληταῖς συμφέρει διὰ τὸν Ἡρακλέα. Hinc Delphis athleta ea coronatus

II. 25.

Κρατὶ δ' ἔχων λευκάν, Ἡρακλέϊ ἱερὸν ἕρνος.

Theoc. Idyl. II. 121.

In capite autem habens populum, Herculi ſacram plantam. Scholiaſtes haec adnotavit ὅτι ἀθλητικός ἐστιν, ὡς καὶ Ἡρακλῆς. οἱ γὰρ ἀθλητικοὶ τούτῳ ἐστεφανοῦντο ὡς ἱερῷ. ἱερὸν δὲ ἦν τοῦτο Ἡρακλέους τοὺς πολλοὺς ἄθλους διενέγκοντος *quia Delphis certator erat, ut Hercules: certatores hac coronantur, tanquam ſacra. Sacra haec Herculi, quod multa perfeciſſet certamina.* Unde Homerus *qui magnitudine operis, & fulgore carminum ſolus adpellari Poëta meruit*, illum vocat

Vell. Paterc. I. 5.

μεγάλων ἐπιῤῥορὰς ἔργων.

Iliad. III. 243.

Clava etiam Herculis inſigne in ſtatuis noſtris viſitur, ex Oleaſtro, qui ἀγριελαίῳ Theocrito dictus, quem ad Saronidem paludem invenit. Thaſii dedicarunt in Olympia Herculis ſtatuam ῥόπαλον δὲ ἐν τῇ δεξιᾷ *dextra clavã* tenentis. Theocritus ſic ipſum deſcribit.

Pauſ. in Corinth. p. 186.

In Eliac. p. 445.

Idyl. XXII. 57.

Καὶ ῥόπαλον, τὸ οἱ αἰὲν ἐχάνδανε δεξιτερὴ χείρ

Et clava, quam ſemper dextra manus ipſius capiebat. Pellem inſuper leonis, quem in Nemea confixit, Herculis noſtri ſignum geſtat

Δέρμα λεόντειον μάλα οἱ κεχαρισμένον αὐτῷ.

Idyl. XXIV. 78.

Theocritus ita adloquentem Herculem inducit

Idyl. XXV. 278.

Καὶ

Καὶ ἀμφιθέμην μελέεσσιν
Ἕρκος ἐναλίγκιον ταμεσίχροος ὄφρά μοι εἴη.

& membris indui, ut munimentum mihi esset in pugnis, in quibus corpora vulnerantur. Tria mala, dicta Ἑσπερίδων μῆλα *Hesperidum mala*, alia Herculis statua in Thermis dextra habet, uti in numismate Commodi: Nymphae etenim Hesperides ea custodiebant, quae Hercules rapuit, caeso serpente, qui arboris truncum amplexabatur. Ita expressum in numismate Regis Galliae, quod divulgavit Antiquitatis Aethereus Sol Ezechiel Spanhemius. Sic enim ab Antiquis Graecis repraesentatus Hercules poma manu ferens.

Anth. v. Μῆλα λεοντοφόνῳ παλάμῃ χρύσεια κομίζων
Γαίης ὄλβια δῶρα λιβυσίδος.

Poma leones occidenti manu aurea ferens terrae beatae munera Libycae. Tria tantum fuisse censebat Antiphanes Comicus in *Boeotio*

Φάσιν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι τρία
Μόν'

aurea haec mala tria esse inquiunt tantummodo. Pamphylus Athen. III. p. 82. ἡδύσμια δὲ εἶναι τὰ ἄβρωτα *suaviter olere, sed in cibos non admitti* dixit. Quocirca a Timachide Lib. IV. Coenae proditum ἐν Λακεδαίμονι παρατίθεσθαι τοῖς θεοῖς *apud Lacedaemonios illa Diis apponi* solita. Ex quo non Cydonia, sed aurantia, isthaec poma au-

aurea fuiſſe deprehendimus, νεράντια Scholiaſti Nicandri in Alexipharmacis, Myrepſo vero dicta νεράντζια; quae in Graeciam Hercules devexit

Ἐκόμισεν ἐς Ἑλλάδα χρύσεα μῆλα. Anth. IV. 8. 1. de Empl. 190.

Et Lucanus

Abſtulit arboribus pretium, nemorique laborem IX. 365.
Alcides: paſſusque inopes ſine pondere ramos,
Retulit Argolico fulgentia poma Tyranno.

Pro pignore amoris ac teſſera aureum pomum Graecis habitum. Theocritus

Βάλλει κἠμὲ μάλοισι τὸν αἶπολον ὁ Κλεαρίστα Idyl. v. 88.
Τὸν αἶγας παρελῶντα, κἠμὲ ἁδύ τι ποσσπυλιάσδει.

petit & malis caprarium Clearistα, capras praeter agentem, & ſuave aliquid admurmurat. Quid vero μηλοβολεῖν *petere malis?* innuere videtur Ariſtophanes In Nub. 943.

Μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου

meretrix te malo petat, id eſt *in amorem alliciat*: mos enim illos petere malis, quos ad rem veneream invitabant, quoniam Veneri ſacra. Scholiaſtes ἀντὶ τοῦ ἐρωτᾷ. μηλοβολεῖν γὰρ ἔλεγον, τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν. ἐπεὶ κἠμὲ τὸ μῆλον ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερόν. Hinc Virgilius, qui Theocritum ſaepiſſime imitatur, aliquando latine facit, ſic cecinit

Malo me Galatea petit laſciva puella.

Pomum uti amoris, & laſciviae ſymbolum, expreſſum in nummo Fauſtinae Aurelii conjugis,

quae sui temporis mulieres corporis pulchritudine ac formae elegantia longe superabat.

At prae aliis singularem & praeclaram Statuam addere non negligam, quae quum magnam admirationem rei antiquariae studiosis ingerere possit, iisdemque non mediocrem voluptatem procreare, ipsius iconem heic ponendam duxi. Herculem repraesentat, qui sinistro brachio Hylam tenet, quem adamavit,

Theoc. Idyl. XIII. 8.

Καί μιν πάντ' ἐδίδαξε, πάτηρ ὡσεὶ φίλον υἱόν.

Tunicae in sinu tria Hesperidum mala habet Hylas, ac pedem Herculis prope sinistrum Cerva stat erecto capite, eam namque Alcides agros devastantem occidit in monte Arcadiae Ceryneo, ejusque caede valde gavisam Dianam Euripides tradidit. In nummo ΓΕΡΜΗΝΩΝ *Germenorum*, qui Hellespontum incolunt, Hercules visitur manibus cornua Cervae discerpens. Poëtae Cervas cornutas fecerunt, ut animadvertit Pindari Scholiastes

In Herc. Furent. 375. Ap. Vaill. in numm. Elag. p. 126. ed. Par.

Olymp.Od.III. ſtes εἰ μὲν τοι ποιηταὶ πάντες κέρατα ἐχέσας ποιεῦσι. Sic in An-
IV. 8. thologia Μαιναλίην ἔλαφον Cervam Herculis dixere, ut Anacreontem Pindarum, aliosque omittam. Attamen Criticorum Graecorum mihi arridet ſententia, qui Animalium adpellationes foeminino proferre in genere Poëtis morem fuiſſe diligenter
In Phœn. 3. obſervant: de quo videndus Scholiaſtes Euripidis: Quod de Jonibus pariter dixit Auctor magni Etymologici in ἵππος: Veriſimilius tamen Herculis ſtatua, ut opinor, Telephum oſtentare videtur ipſius filium, quem ex Auge Aleonis filia ſuſcepit, ac in ſylva expoſitum cerva enutrivit: unde Corythus, a quo fuit educatus προσαγορεύσας τήλεφον, ἀπὸ τῆς τρεφούσης ἐλάφου *Telephum vocavit, quod Cervae ubera ſugentem*
IV. p. 167. ed. Han. vid. Aelian. XII. 42. Hygin. Fab. 252. *inveniſſent*, ut adnotavit Diodorus Siculus. Cujus rei argumentum ex nummo Maximini Auguſti peti poteſt, a Tarſenſibus in ejus honorem cuſo:

In quo Hercules viſitur puellum ſiniſtra ſuſtinens, ad quem Cerva caput erigit, non diſſimili ratione

ne ac in Statua noſtra apparet , cum Epigraphe ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΜΚΓΒ. Hunc praeclarum nummum maximi moduli ſervat Vindobonae Cimelium doctiſſimi Viri Caroli Granelli e Societate Jeſu . Literae vero ΑΜΚ in Tarſenſi nummo non Ἀμφοτέρας Κυλικίας explicandae ſunt , nam hujusmodi Harduini commentum jam pridem exploſit clariſſimus Noriſius , qui ex nummis , Pandectis , ac marmoribus oſtendit ante Arcadii Auguſti decretum Ciliciam nuſquam in primam , & ſecundam partitam fuiſſe : verum interpretandae Πρώτης Μητροπόλεως Κυλικίας , uti & ΓΒ γράμματι βουλῆς *Decreto Decurionum* , quemadmodum Toinardus eximiae eruditionis vir exiſtimavit.

Neque heic praetermittere exiſtimavi , etſi extra oleam , ut dicitur , Inſcriptionem Temesvenſi ditione nuper effoſſam , quam ſibi poni curavit , priusquam e vita excederet , Publius Aelius Ulpius Decurionatus munere perfunctus , namque ſaepe Tu , VIR EXCELLENTISSIME, memoriter eam recitare adſoles, ejusque politiſſimis nitidisque verſibus jucunde delectari, qui Auguſti potius ſeculum redolent, quam Trajani vel Antonini, ſub quibus marmori inſculpta fuiſſe videtur , ut ceteras ſepulcrales in Collectione Gruteriana Inſcriptiones, quae quidem elegantiſſimae ſunt , exaequet , vel facile ſuperet .

Hanc ſedem longo placuit ſacrare labori

Hanc

Hanc requiem feſſos tandem qua conderet artus
Ulpius emeritis longaevi muneris annis
Ipſe ſuo curam titulo dedit ipſe ſepulcro
Arbiter hoſpitium membris fatoque paravit.

Haec ſunt, VIR EXCELLENTISSIME, quae non modo ex antiquis Graecis, Latinisque auctoribus, ut Tibi morem gererem, collegi; verum etiam ex ipſis vetuſtiſſimis inſcriptionibus, quas Gruterus Vir doctiſſimus magno volumine complexus eſt, excerpſi, & excellentiſſima quaeque libavi. Perſuaſum eſt enim mihi propter ſingularem tuum in me amorem, & ob quandam eximiam benevolentiam, jucundum fore, ac gratiſſimum Tibi, me omnibus unum in locum coactis ſcriptoribus, haec minime dubia, & plane explorata compilaſſe: in quo non parum elaboravi in recondito, multiplici, ſubtilique negotio verſatus. Quid autem magis arduum, atque graviſſimum judicavi? quam veterrima rudera, antiquitate ipſa, & longo temporis curriculo depravata, ac macie confecta, in praeclaram, quantum potui, lucem reducere. Hoc tamen non praetereundum heic exiſtimo, quod etſi Legionem XIII. Geminam nuncupatam fuiſſe Antoninianam dixerim, non quidem a Marco Aurelio, ſed a Tito Aelio Antonino adverſus Lazii graviſſimi Auctoris ſen-

ten-

tentiam, quam omnes fere, quantum ſcire potuerim, Antiquarii uno ore ſecuti ſunt; tamen fateri oportere operae pretium judico, hoc non ſine variis nominibus, praeſtantiſſimisque rationibus me feciſſe, quas jam in hac mea diſſertatione copioſe expoſui, ut a clariſſimi Viri ſententia diſcederem. Nec mirum; nam maxima hominum pars ſaepenumero, quo itur, ſed non quo eundum eſt, temere pergit: quod noſtris quoque temporibus factum vidimus. Opinati enim ſunt omnes ferme, columnam Cochlidem in via Flaminia, Antonini Pii Patris eſſe, non Aurelii ejus Filii, quamvis bellum Germanicum in ea deſcriptum viderent, quod non ad Aelium Titum, ſed ad Marcum Antoninum pertinuiſſe Dio enarrat: atque in hunc errorem raptos eos tantum temporis fuiſſe conſtat, donec in Campo Martio Antonini Pii columna fuit effoſſa ac patefacta expenſis Clementis XI. Pontificis Maximi Antiquitatis Amantiſſimi, Literarumque Praeſidis, ac Fautoris. Denique quum ſis tot, tantisque nominibus generoſus Avitis, ut morum nobilitate facile genus exſuperes, multum confido pro incredibili, & ſingulari Tua humanitate Te, eorum, quae ego de his Herculanis Thermis jam diſſerui, benignum tore cenſorem; imo mihi quoque magna, ac exopta-

optatiſſima erit voluptas, ſi paulo diligentius, quid de his rebus dicant, attenderis, rei Antiquariae Triumviri, Sedis Apoſtolicae nomine ad Caeſarem delegatus Praeclariſſimus Dominicus Paſſionaeus, cujus auſpiciis nunc iterum

illa inclita Roma
Imperium terris, animos aequavit Olympo.

Ampliſſimus Comes Janus Baſilius Serbellonius, Caeſaris a ſecretioribus Aulae Conſiliis

ſincera bonorum
Congeries, in quo veteris veſtigia recti,
Et ductos videas mores meliore metallo.

Et V. C. Pius Nicolaus Garellius, Caeſaris a Bibliotheca, ejusque itidem Archiater, qui potis eſt

vitas hominum ratione medendi
Porrigere, ac fatis amplificare moras.

Quae tamen ſeveriori judicii ipſorum cenſurae ſubmitto, graviſſimorum virorum adprobationem aſſequi non deſperans: ſic, ut jucunde dicere poſſimus, quod Aegyptii quodam feſto concinere ſolebant εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Tandem, VIR NOBILISSIME, ut inſtituiſti, me diligas, rogo, proprieque Tuum eſſe Tibi perſuadeas.

Athenag. legat. pro Chriſt. p. 88. edit. Oxon.

F I N I S.

Die 3. Martii 1739.

IMPRIMATUR,
F. Joſeph Maria Chieſa Provicarius S. Officii Mantuæ.

VIDIT
Franciſcus Berſellus.

DE

USU

ET

PRÆSTANTIA

THERMARUM

HERCULANARUM

QUAE NUPER IN DACIA TRAJANI DETECTAE SUNT

PASCHALIS CARYOPHILI DISSERTATIO EPISTOLARIS

ALTERA

QUAE AN. MDCCXXXVII. KAL. AUG. CONFECTA
NUNC PRIMUM PRODIT.

PUBLICA AUCTORITATE EXCUDEBAT

MANTUAE AN. MDCCXXXIX.

Apud Typographiam S. Benedicti Hæres Alberti Pazzoni
Archiducalis Impressor.

Ταῦτα δεδοξάσθω μὲν εἰκότα τοῖς ἐτύμοισι.

Ista probabiliter ſunt dicta, propinquaque veris.

Plutarch. Symp. IX. p. 746.

AD

EXCELLENTISSIMUM
DOMINUM
JANUM BASILIUM
A CASTELUI,

ALAGON, ET BORGIA, COMITEM A CERVELLON, ET BUNNOL, MARCHIONEM A VILLATORCAS, BARONEM OROPRESSAE, HISPANIAE MAGNATEM, CAESARIS A CVBICVLO HONORARIO, EJUSQUE AB INTERIORIBUS, AC IN SUPREMO ITIDEM ITALIAE CONSESSU A CONSILIIS.

OMINES hominum cauſa generatos eſſe, ut ipſi inter ſe alii aliis

prodeſſe poſſint, receptum eſt, VIR EXCELLENTISSIME. Ineſt enim in iis conjunctio, & quaſi quaedam ſocietas & communicatio utilitatum: ex quo caritas generis humani erumpit. Quapropter cunctis, qui eam mirifice, & aeque tueri cupiunt, exoptandum eſt ſui ingenii vires, quando ipſis otii fructus datus eſt, integras conſumere in celebrandis, recolendisque rebus, quae ad totius complexum gentis humanae pertinere videntur. At quid praeſtantius? quidque magis utile eorum conditioni excogitari poteſt? quam inveſtigare, quae corporis humani ſalutem & in-

co-

columitatem reſpiciunt : nam ea ſaepiſſime, & quaſi ſemper homines laborant, quippe univerſa corporis coagmentatio ab impulſione vehementi aliorum corporum labefactatur, & frangitur, atque ad morbos, ſenectutemque compellitur. Hinc in variis morborum generibus gravius, vehementiusque, quam a vitioſa victus ratione, torqueri, affligique nos ſentimus a peculiaribus locorum effluviis, ab aſſiduis ventorum commutationibus, & ab aëris varietatibus, quae non paucos quosdam, ſed totas civitates interdum depaſcuntur, ac miſere perdunt, corporis hu-

humani organis nimium laxatis, aut contractis. Non immerito igitur ſapientiſſimi illi, quos primum medicinam excoluiſſe conſtat, apud univerſas terrarum orbis nationes ſummum honoris gradum ſunt aſſecuti, ut ipſis ſimulacra, templa, araeque excitarentur, ac denique in Deorum numero eſſe poſteritas voluerit, poſtquam ex hac vita migraſſent, ac tanquam malorum depulſores, averrunci σωτῆρες votis invocarentur. Haec ſaepenumero, VIR EXCELLENTISSIME, mecum animo repetens, cogitare coepi, aliam diſſertationem de utilitate, ac praeſtantia

tia Thermarum, quae in Dacia Trajani nuper detectae ſunt, componere: quumque earum ſitum, ac vetuſtatem, omni qua potui, diligentia e tenebris eruiſſem, omnesque inſcriptiones ibi effoſſas ſummo ſtudio explicare curaſſem: operae pretium erat de aquis ipſis ſubtiliter, & copioſe differere, & quibus ſane morbis opem, atque auxilium ferre poſſint, ſedulo perquirere. Perſuaſum eſt enim mihi ipſas, quoniam varia aliorum corporum elementa continent, ſaluberrimas eſſe, dummodo qui adverſa valetudine afficiuntur, eas diligenti cura, atque conſilio adhibeant,

beant, ut ad ſanitatem perve-
nire poſſint. Quam ob rem
hac cogitatione impulſus, ex
analyſe, quam Excellentiſſi-
mus Comes Andreas Hamil-
tonius Legatus Auguſti, &
Propraetor Provinciae Temeſ-
venſis, qui apud me & aucto-
ritate & beneficiis & dignita-
te plurimum poteſt, a peritiſ-
ſimo Medico Joachimo Cram-
mero in Thermis faciundam
juſſit: necnon ex quampluri-
mis experimentis, quibus non
pauci graviſſimis affectionibus
atque diverſis morborum cru-
ciatibus oppreſſi, ab ipſarum
uſu, & medicina, tanquam
a ſalutari remedio, opem ac-

ce-

ceperunt; intentis, ac liberioribus animis perveſtigare ſuſcepi, qua ratione, & quibus ex cauſis, aegrotorum incolumitati, earum auxilio, ſubveniretur. Quis non animadvertat in hoc opere perficiendo multum operae, ſudorisque oportuiſſe, non modo ob rerum materiam, in qua verſari convenit, quae certiſſime multis ſcatet difficultatibus; ſed etiam quia optimam aegrotantibus viam tradere opus fuit, quae eorum ſanitati reſtituendae, aut conſervandae ſummopere conduceret. Unde quamvis initio alteram hanc meam diſſertationem in vulgus emit-

tere dubitaſſem, tamen animo non defeci id quam citiſſime exequi, ubi ardorem ingenio ac faces admoviſti. Cogitabam enim Te facile magnitudine animi Tui fore, ut has meas vigilias aequi bonique faceres, qui non ſolum genere, & nobilitate, quam doctrina & prudentia alios antecellis: imo & amicitia & hoſpitio flores doctiſſimorum virorum, quibus etiam mea iſthaec examinanda poſſis committere. Hi quidem & praeſentes quotidianis Tuis ſermonibus & abſentes ex Tuis jucundiſsimis epiſtolis multa elegantia, venuſtate, atque latinae linguae nitore con-

conſcriptis, indicibilem in Te, ac perfectam rerum cognitionem admirari ſolent. Namque philoſophiae multum temporis ab adoleſcentia conſumpſiſti, veteresque ſcriptores quotidie verſas, e quibus praecepta ad bene vivendum attentiſsime depromis, ac denique hiſtoriam egregie, & prudentiam juris publici & antiquitatis peritiam & exemplorum copiam mirifice tenes, jurisque conſtituendi rationes, & rem publicam regendi poteſtatem ſic recte calles, ut CAROLUS VI. ſemper Auguſtus, qui omnia ſummo ſtudio, optimo conſilio, & facilitate gerens,

rens, ſuorum ingenia, ac mo-
res peracute diſcernit, Te in-
ter alios egregios viros ad ſum-
mam rerum Italiae admini-
ſtrandam ſelegerit, ac in pu-
blicis, arduisque negotiis Te
ſummis honoribus, dignitati-
busque decoratum ſemper ad-
hibere optat. Huc accedit,
quod omni tempore ſapien-
tiae, atque eruditionis fautor
fueris. Nam maxima benevo-
lentia, & humanitate tutaris,
beneficiisque cumulas, qui in
ſtudiis, literisque omne tem-
pus ſuaviter conſumunt, ut di-
vinarum, atque humanarum
rerum ſcientiam conſequan-
tur. Quid enim optabilius ſa-

pien-

pientia omnium rerum moderatrice? quid praeſtantius? quid denique melius, & homine dignius? Sapiens enim maxime perſpicit quid in quaque re veriſſimum ſit, quique & acutiſſime & celerrime poteſt & veſtigare & ſuaviloquis expandere dictis rerum cauſas, totiusque univerſi, in quo movemur, ſtructuram admirabilem, armoniamque cognoſcere. Sapiens mente Deos adit, rectique & honeſti cuſtos ſemper temperatus eſt, ſemperque conſtans in rebus agendis: caret illi pectus inani ambitione, caret ira, quae inquietis aſſidens praecordiis ſomnos aufert, animique

que tranquillitatem: illum non civium ardor, non trabeae, non faſces, ſaevaeque ſecures, unde alii metuunt, dolentque, ſed ſcelerum facies exterret. Omnes haſce nobiliſſimi animi Tui dotes, atque virtutes ab egregia parentum Tuorum inſtitutione, & optimis vitae praeceptis mirabiliter Te comparaſſe quis jam ignorat? ſemper enim majores Tui in promovendis literis, ac doctiſſimorum hominum induſtria fovenda ſtudium ſuũ omne poſuerunt. Fuit quidem hoc commune, atque laudabile univerſae Hiſpaniae Tuae inſtitutum, ut acutiſſimi ingenii viri, liberalibusque artibus ornana-

nati omni tempore in ipſa maxima omnium admiratione florerent. Et ſane Romani ipſi, qui omnia aut inveniſſe per ſe ſapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis feciſſe meliora gloriabantur; magno in honore ac precio eruditiſſimos Hiſpanos habuerunt, ut Romam, quae una in terris omnibus domus erat virtutis, libertatis, imperii, dignitatisque, munifice, & large eos invitarint, quos inter primus laudandus occurrit Sextilius Hena vir ingenioſus, quem M. Annaeus Seneca praeſtantiſſimus rhetor itidem Hiſpanus ſummopere ab elegantibus, atque latinis carminibus com-

Suaſ. VI. p. 50. edit. Amſtel. 1672.

commendat: necnon Lucanus, Martialis, Silius Italicus, qui inter excellentiſſimos quoque poëtas adnumerantur. Hinc etiam Portius Latro clarus inter dicendi magiſtros, M. Annaei Senecae amicus & ſodalis, omnium commendatione, & fama illuſtris ipſam dicendi artem, atque exercitationem ſub Auguſto Romae profeſſus eſt: & multo poſt, alterum Hiſpaniae lumen, Quintilianus, Veſpaſiani Auguſti auctoritate fretus, publicam in Urbe aperuit ſcholam, in quam omnis confluebat juventus, ut liberales artes, & optima dicendi praecepta ab ipſo edoceretur.

Plin. xx. 15.

In Praef. contr. p. 69.

Nec

Nec ſilentio praetereundum exiſtimo Antonium Julianum rhetorem, qui & ingenio & auctoritate cum iis eſt comparandus. Is enim ſumma doctrina & judicio praeſtans, ac firma ornatus memoria, quae thesaurus omnium rerum eſt, atque inventorum cuſtos, Hadriani Auguſti temporibus rhetoricem Romanis adoleſcentibus itidem tradidit. Multum quoque debet antiquitas Hadriano, & Trajano, quos in Hiſpania natos ad ſummum Romani Imperii culmen evexit tanta rei militaris ſcientia, atque diſciplina, civilisque prudentiae ratio, quae multis &

Aul. Gell. xv. I. p 662. ed. Lugd. Bat. 1706.

magnis ex rebus conſtat, ut Romanam Rempublicam ſuorum praedeceſſorum vitio deturpatam, & incuria jam labentem reſtituerint ac fortiter repararint. Horum quoque veſtigia recentiores Hiſpani diligentiſſime ſunt proſecuti, unde non minorem gloriam, exiſtimationemque ubique terrarum apud poſteros adepti ſunt, quos leviter tranſire, & unumquemque perſtringere opus non eſt, quum abs Te in doctiſſima, ac politiſſima epiſtola, quam eleganti Ferdinandi Ruizii Villegatis Burgenſis poëtae eximii operi adjectam videmus, perhonorifica de iis men-

mentio nuper facta jam ſit: ſolus tamen mihi, ne longe abeam, memorandus ſupereſt Franciſcus Ximenius, qui ab Julio II. Pontifice Maximo ad Cardinalis dignitatem promotus, & a Ferdinando Hiſpaniarum Rege non tantum Toletanam Eccleſiam conſecutus, ſed & univerſae Hiſpaniae Reipublicae adminiſtratione ſibi delata, laudabili inſtituto, non modo lapſam Eccleſiaſticorum diſciplinam, atque corruptos mores in meliorem ſtatum reſtituit, verum etiam ſuis expenſis ſacra Biblia, Latina, Graeca, Hebraea, ac Chaldaea lingua conſcripta, ut Ori-

genem aemularetur, Compluti edere ſtuduit : tantumque ad opus perficiendum plurimis veteribus codicibus undique conquiſitis , homines orientalium linguarum peritia inſtructiſſimos admovit , quos inter Joannes , & Franciſcus Vergarae cum Ferdinando Pinciano , & Antonio Nebriſſenſi egregiam operam navarunt . Quam Bibliorum editionem Benedictus Arias Montanus linguae Hebraicae, & Chaldaeae ad prime peritus elegantiore forma Antverpiae recudendam ex mandato Philippi II. Hiſpaniarum Regis diligenter curavit , quin Gallis, & Britannis meliora perficien-

ficiendi viam commonſtravit ac patefecit. Quid dicam de inſigni philoſopho, & medico clariſſimo Gomeſio Pereira? quem honoris cauſa nomino. Floruit anno aerae Chriſtianae 1554. quo tempore Ariſtotelis, & Scholaſticorum doctrina hominum mentes adeo invaſerat, ut nemo tunc reperiretur, qui eam veluti e coelo demiſſam non exciperet, ac tutaretur. Sed in tanta rerum difficultate ac diſcrimine ſolus extitit, qui omnium admiratione

mortales tollere contra
Eſt oculos auſus, primusque obſiſtere contra.

ac primus, qui philoſophandi liber-

libertatem in res phyſicas invexerit. Hinc materiam primam, quae in Scholis continuo audiebatur, omnino ab hominum animis delere conatus eſt. Galenum etiam circa febrium materiam objurgare non deſtitit, quem non dolo, ſed ignorantia excaecatum apertiſſime oſtendit in ſua *Antoniana Margharita*, quod opus phyſicis, ac medicis utile, a ſuorum parentum nomine nuncupatum vulgavit Medinae anno 1554. Denique bruta animalia penitus non ſentire, ſed puras tantum machinas eſſe docuit: quam Graecorum opinionem etſi antiquiſſimam, ipſe

ta-

tamen denuo revocavit, solidisque argumentis confirmavit, ac clarissimum praetulit Cartesio lumen amplissime de eadem re postea disputandi. Unde a cunctis fere hujus sententiae inventor, & princeps habitus Gomesius. Hujus itidem dissimilis non fuit Bernardus Alderetes Hispanici nominis decus, atque ornamentum, qui Hebraicis, Arabicis, Graecisque literis ornatissimus, in aperiendis Hispaniae antiquitatibus, primus omnium acutissime indicavit colonias, quas Phoenices pluribus in Graeciae insulis, atque in ipsamet Hispania, & Africa constituerunt.

runt. Qua in re anteivit Samuelem Bochartum, qui ipsius vestigiis incedens, magnum ac difficile opus *Chanaan* inscriptum condidit. Verum mirabuntur nonnulli, VIR EXCELLENTISSIME, qui in jure civili rudes, aut non multum in perlegendis veterum Jurisconsultorum libris sunt versati, me de rebus, quae ad medicinam pertinent, scripsisse. Sed Tibi, qui Romanae Jurisprudentiae uberem notitiam habes, satis notum, ac manifestum est, neminem posse Jurisconsultorum libros interpretari, nisi absolutam scientiarum peritiam contineat. Sapientissimi enim illi

li Romanorum jurisconditores saepissime de venenis loquuntur, ac de quibusdam morbis, praesertim de sacro, necnon de variis medicamentorum speciebus, quae nocendi causa ab hominibus parantur, atque de abortu, & de octimestri, & septimestri partu, quem vitalem doctissimi viri Hippocratis auctoritate definiunt, ac tandem de causis etiam disserunt, quae quum aërem pessime inficiant, graves in humano corpore valetudines producunt. Medicinam igitur funditus studuisse oportet, qui juris civilis cognitionem, & interpretationem adgredi cupit.

Quapropter ego, qui hiſce ſtudiis non alio conſilio operam dedi, quam ut Romanam Jurisprudentiam profiteri poſſem, multum operae, onerisque ſubſtuli in hac diſſertatione conficienda, quam Tibi dedicare audeo, tanquam perenne officii mei erga Te monumentum, cujus neque benevolentiam in me ignorare, neque auctoritatem aſpernari, nec fidem negligere debui, VIR EXCELLENTISSIME.

Quan-

QUantum Recentiores in augendis, locupletandisque rebus, quae ad medicinam ſpectant, diligentiſſimi, atque excellentiores, quam veteres fuerint, perfacile percipi ac comprehendi poteſt, non ſolum ex tot, tantisque ipſorum inventis, quae anatomiam reſpiciunt, & optimam philoſophandi rationem, qua duce in perſcrutandis naturalibus, abditisque morborum cauſis meliori methodo progreſſi ſunt; verum etiam ex laudabili Chemiae cultu, cujus auxilio praeſtantiſſima excogitarunt medicamenta, quae corporis humani curationi ſummopere profeciſſe in comperto habemus. Antiquiſſimis enim Medicis cum Graecis, tum Latinis penitus haec ſcientia ignorabatur, quae corpora omnia igne, & variarum rerum conflictu in ſua principia ac elementa dividere, eaque expurgare, at-

que iterum conjungere docet. Et ſane tum temporis Medici nullum Chemiae uſum habuerunt in iis, quae nunc ad medicamentorum compoſitionem pertinent; ignorabant enim primarias ejus operationes, ignemque non adhibebant in deducendis ex metallorum, foſſilium, ac vegetabilium regno medicamentis, quod Arabes poſtea fecerunt, atque ex iis ſalubres elicuerunt vires, unde orta eſt Chemia medica, ut infra demonſtrabimus. Nam ex Galeno, qui plurima de varia eorum praeparatione, & viribus ſcripſit, quae ſuo aevo cognoſcebantur, nihil de Chemicis expreſſim colligitur etſi multa ex corporibus deduci ignis auxilio poſſe noverit, *multa ignis commercio meliora redduntur, & interdum latens rerum natura in apertum ab igne profertur*. De his quoque ſilent alii Graecorum Medici, qui ampliſſime de ea materia ſcripſerunt, Oribaſius, Aëtius, Aegineta, Aretaeus, Trallianus, ceterique. Eo enim tempore ſolummodo Metallorum Chemiam cognitam conſtat, quae in expoliendis mineralibus a ſuis foecibus verſabatur, atque etiam in commutandis iis, quae viliſſima erant, in alias nobiliores ſpecies. Hinc apud Svidam Chemia dicitur: quin ita hominum mentes Diocletiani tem-

De Ther. ad Piſon. 16.

Svid. in Χημια. ἡ τῶ ἀργύρω καὶ χρυσῶ κατασκευὴ *argenti & auri compoſitio*

temporibus hujusmodi desiderio flagrabant, ut Imperator ipse Chemicorum scripta, quae in Aegypto, ac vicinis regionibus reperiebantur, comburi jusserit, ne amplius publicis seditionibus locus esset, quae ob divitiarum spem, & expectationem conflari ab iis solebant, quarumve copia Romanis in posterum obsisterent.

Arabes autem capta sub Amro Alexandria, ubi Graecanicae scientiae, & praesertim medicina summo studio colebatur, Medicorum Graecorum ex Syriacis versionibus in cognitionem venerunt. Syri enim, qui tunc temporis Christianam profitebantur Religionem doctissimi, literisque instructi, veteres Graeciae scriptores in suam vernaculam linguam jam transferre curaverant. Quorum vestigiis dein Arabes insistentes atque exemplo praecipue ducti Maser-Jawaihi Syri, qui anno Christi 683. primus omnium Aharonis Alexandrini sacerdotis Mahumede imperante clarissimi pandectas medicinae Arabice fecerat. Atqui sub Abdalla Almamone Chalifa VII., quo nemo inter Abbasidas doctior, anno Hegirae 198. Christi 813. Hippocratis, Aristotelis, Dioscoridis, Galeni, & aliorum Graecorum libros in suum sermonem convertere exorsi sunt. Quapropter Medicina summopere sub ejus imperio inter Arabes floruit, quae

ante

ante a paucis exculta, & ſolum empirica audiebatur. Et quamvis rerum medicarum notitiam ex Graecorum ſcriptis hauſerint, plurima tamen nova excogitarunt. Legimus enim quamplurimas ſimplicium medicamentorum ſpecies ex plantis deductas, atque antiquis Graecorum Medicis omnino ignotas, nobis demonſtraſſe, veluti mannam, rhaubarbarum, caſſiam, ſenam, aliasque, quae mirificam in purgandis humani corporis humoribus operam praeſtant; imo & ſacchari uſum, quem Graeci ignorabant, in rem medicam communiter introduxerunt: namque ab Hippocrate, Galeno, ceterisque medicinae ſcriptoribus, ejus loco mel adhibitum fuiſſe conſtat. Quam ob rem ex ſacchari frequenti uſu, variae quoque remediorum compoſitiones derivarunt, quae hodie magna ex parte θεραπευτικῆς apparatum deſignant. Sed quod laudi ipſis ducitur, primi quaedam medicamenta excogitarunt, quae ex recenti Chemiae ſtudio exceperunt: unde magna hominum utilitate ex variis, diverſisque corporum generibus, metallis, plantis, ac animalibus ſaluberrimas, optimasque per Chemicas operationes elicuerunt opes, ex quibus aegroti ad priſtinam ſanitatem recuperandam in poſterum eximiam utilitatem ſunt conſecuti. Antiqui Graeci harum re-

rerum ignari magnopere in efficiendis medicamentis aridi, rudes, ac mutili extitere. Celeberrima haec Chemiae pars, quae ſanitatem longe opibus omnibus praeſtantiorem tuetur, olim *I-muth* vocata eſt: quare Zoſimus Chemius Aegyptius libros ſuos inſcripſit περὶ τῆς Ἰμούθ. Hic eſt ille Zoſimus, ut opinor, quem inter Medicos numerat Paullus, & Nicolaus. At quae ejus inſcriptionis ratio? id ſane obſcurum & hactenus intentatum: dicam tamen quod ſuccurrit. Hebraeis, quorum linguae in pluribus Aegyptia erat affinis אי מות eſt *ubi mors*? Non potuit quidem brevius, nec illuſtrius Jatrochemia commendari, hoc eſt, mors per ipſam in fugam acta eſt, & cum nuſquam compareat, opus eſt quaerere, & rogare ubi gentium ſit? Eadem forma in Malachia איה כבודי *ubi gloria mea*? id ſibi vult, gloriam inter Hebraeos amplius nullam eſſe, alioque longe evolaſſe. Hanc Aegyptiorum medicinam, quam ἱερὰν καὶ θείαν τέχνην *ſacram & divinam artem* Graeci poſteriores adpellarunt, Prophetae ediſcebant, qui, ut eam in arcanis haberent, plantarum, quibus medendo utebantur, nomina immutarunt. Hinc aliter plantas vocabant ceteri Aegyptii, aliter Prophetae, imo & metallorum nomina in ea Solis, & Lunae, ac reliquorum ſiderum abierunt.

VII. 19. de unguent. 18.

I. 6.

runt . Itaque apud Dioſcoridem , & Apulejum plurimae occurrunt ſtirpium appellationes ab uſitatis Aegyptiis diverſae, tanquam Prophetarum propriae: ſic Plantago, quae Aegyptiis *Aſchat*, Prophetis eſt *cauda ichneumonis* : quinque folium illis *orphitebeoce* , iſtis vero *ibidis unguis* , atque alia ſexcenta. Sollicite igitur Aegyptii cavebant, ne ſua illa *I-muth* evulgaretur, ideſt Chemia, quae arcanam ſcientiam ſonat ab voce Arabica כמי *texit* , *ſervavit* . At nil ſane mirum , ſi ad Arabes, qui jam Aegyptios ſubegerant, penetraverit. Rara extant veſtigia in veteribus ejus gentis Medicis. Omnium antiquiſſimus, qui de ea re mentionem inierit , eſt Joannes Meſawiaihi, ideſt Meſue filius, qui alembicos *vaſa ſublimationis* vocat, eorumque ope abſinthii, & roſarum aquas ſublimari ait . Fuit Chriſtianus , natione Syrus, ſed Bagdadi , quo Chalifae ſedem poſuerunt , verſatus eſt , annoque Hegirae 175. Chriſti 791. clareſcere coepit . Abul-Caſim itidem de alembico , & balneo-mariae loquitur, qui floruit anno Chriſti 1085. Graeci, qui Arabum methodum ſecuti ſunt , hos liquores ſublimatione collectos, ſi ex intybis, vocarunt ἐντυβόσαγμα, ut Actuarius , ſi ex roſa ῥοδόσαγμα, quod ſaepiſſime apud Nicolaum occurrit, qui Alexandriae, poſt Myrepſium, & Joannem

De Simplicib. 2.

De Pillul. 117.

nem Meſue floruit. Hujus interpres Fuchſius ſtillatitios roſarum liquores ideſt ῥοδόσαγμα intelligit, per ignem elicitos. Idem viſum Johanni Langio. Epiſt. 23. Nicolaus rhodoſtaci nomen aliter uſurpat. Et recte, quamvis veteribus Graecis in ſimilibus vocibus alia mens. Σταπτὴ Dioſcoridi eſt lixivium defoecatum ut ſtillatitium mel. Marcello eſt mel eliquatum, quod non ſolum elutriando, & decopulando fit, ſed ſacco etiam, & fiſco, & linteo; imo lana in funiculum retorta. Hic tamen liquores influendi modus Antiquis haud fuit ignotus. Plato ὥσπερ τὸ ἐν ταῖς κύλιξιν ὕδωρ διὰ τοῦ ἐρίου ῥέον ἐκ τοῦ πληρεστέρας εἰς τὴν κενωτέραν *velut in calicibus aqua quae ex pleno in vacuum per lanam influit*. In Conv. p. 175. ed. H. S.

De Zulapio 2.

Poſt hunc Raſis ad Almanſorem Choroſanae rectorem hydrargyrum ſublimatum cauſticum ad ſtrumas delendas, aliasque carnis excreſcentias deprimendas commendat. Obiit Raſis anno Hegirae 320. qui eſt Chriſti 932. Ejus verum & plenum nomen eſt Abubekir Muhammed Zachariae filius Al-Razi. De hydrargyro ſublimato meminit etiam Aben-Zoar, qui vixit anno Chriſti 1163. Veteribus ergo Graecis nihil de Jatrochemia ſuboluit, & vanus eſt Melchioris Guilandini conatus, dum Ariſtotelem Chemicis medicis inſerit. Movetur ex eo, quod oleum ex ſale depromi te- Lib. VII. 5. in Praef. antid.

 ſtatur,

Problem. sect. 23. quaest. 15. p. 603. ed. Aurel. Allobrog.

ſtatur, quod nullus niſi Chemius praeſtabit ἀπὸ γὰρ τῶν ἁλῶν ἔλαιον ἀφαίρεται, *quoniam ex ſale oleum depromi poteſt*. Attamen ille philoſophorum maximus nullum novit oleum, quod ex ſale ſponte exudat: ſic enim ſuam ipſe mentem jam ſupra expreſſerat λιπαρὸν γὰρ ἔνεσιν ἐν τῷ ἁλμυρῷ χυμῷ. σημεῖον δὲ ἐκκρίνεται γὰρ ἔλαιον ἐν ταῖς ἁλέαις, *ineſt enim aliquid pinguis in ſucco ſalſo. Indicium, quod die tepidiore oleoſum quoddam ſecerni videmus.*

Verum majores, & indicibiles medicina progreſſus confecit, quum Chemiae ſcientia, quae antea in Aſiae, & Africae regionibus inter Arabes ſolummodo nota erat, excoli diligentiſſime apud Europae incolas coepit: unde ortae plurimae corporum non modo ſolidorum, ſed fluidorum ſolutiones in praecipua ſua elementa, quae res phyſicas, atque veras omnium partium naturas, quibus admiranda corporum ſtructura conſtat, eximie illuſtrarunt. At quod noviſſimum fuit, aliisque medicorum anteceſſoribus inuſitatum, Chemiam in explicandis ac inquirendis calidarum aquarum e terra ſponte naſcentium principiis ſedulo Recentiores uſurparunt, ut propriam earum indolem, & certam in explicandis morbis vim perſpectam haberent. Natura quidem, quae provida ſemper, atque ſolers eſt, medicatos fon-

tes

tes ubique terrarum, ad maxima hominum commoda, atque utilitates produxit; incomparabiles, & ferme divinas mineralibus aquis virtutes elargita eſt, non minus ad curandas aegrotationes, ſed ad prohibendum, ne graves incideretur in morbos, ut omnia exquiſitiſſima arte concinnata remedia longiſſime exſuperent. Quis vero de ullo alio medicamento id ſibi polliceri poteſt? aut etiam hoc ſperandum putat? ut citiſſime, & tuto ſine aliqua virium defatigatione, per omnia cujuscumque generis emunctoria, ſordes, quae graves valetudines fovent, e corpore hauriat, ac expellat, quam Thermae? quae non ſolum congeſtam in ventriculo, & inteſtinis foecum colluviem promtiſſime detrudunt, ſed etiam in ſanguinem intruſae, ſales, coacervationesque impurarum partium ſolvunt, ac per urinam ejiciunt, & tandem per cutis poros ſubtiliſſime eliminant.

Neque aquae hae medicinales purgandi tantum facultatem habent, ſed inſignem etiam concitandi vim poſſident; quapropter adprime lentis, ac tenacibus humoribus diſſolvendis, acribus, & ſalinis diluendis, ac moderandis, acidis invertendis, & corrigendis, atque obſtructionibus minimorum vaſorum aperiendis opem ferunt: quin corpus laſſitudine exanimatum reficiunt, ac cor-

roborant. Et quod praeſtantiſſimum eſt, praeclaras has vires omni ſecuritate, & absque aegrotorum moleſtia exercent; ideoque tutiſſime non modo firmis corporibus, verum etiam admodum imbecillis, ac convaleſcentibus, necnon mulieribus puerperio egreſſis, ac gravidis, & denique ſenibus ſuaderi, & propinari poſſunt, atque omni aetati, temperamento, ſexui etiam conveniunt, & quovis anni tempore, hyemali quoque, tuto, & utiliter adhiberi valent. Quod certiſſime non accidit aliis medicamentorum generibus, quae non promiſcue, & communiter a Medicis praeſcribuntur.

Neque id praetereundum exiſtimo, quod in his fontibus maxime admirari oportet, nimirum quod contrariis quaſi viribus in medendis morbis pollent. Etenim ſi alvi purgationes nimiae ſunt, eas benigne ſiſtunt, atque compeſcunt, & viciſſim ſi deficiunt, ipſas optime promovent, imo ſi ventriculus, & praeſertim duodenum, bilis copia opprimitur, vomitu deplent, atque etiam illico moleſtam reprimunt vomitionem, qua hypochondriaci acerrime affliguntur. Inſuper ſi menſtruus ſanguinis in foeminis fluxus, aut ſanguinea in hominibus per hemorrhoides conſueta eruptio interrumpatur, praeſtantem vim in excitandis, ac

re-

revocandis iis habent; vel ſi ani, uterique venae plus juſto cruoris fundunt, eaedem nimium cohibent profluvium. Quapropter Galenus valde erraſſe mihi videtur, qui aquas nitroſas, ſalſas, & ſulfureas plus nocere qualitate, quam evacuatione juvare judicavit: quod non minus experientiae, quam rationi adverſari compertum eſt. Verba ejus heic exponenda cenſeo, *Balnea vero calida ex aqua potabili proſunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiam quia ſua qualitate plurimum juvant: nam hujuſcemodi omnia balnea humectant, ac potentia refrigerant: Marinae autem aquae, & ſalſae, nitroſae, atque ſulphureae plus quidem bilis educunt, ſed multo minus, quam potabiles proſunt. Praeſtat vero neque ipſas utiles dicere, quandoquidem plus qualitate nocent, quam evacuationibus juvant.* Quo magis miror Galenum inſalubres credidiſſe, quum alibi fateatur aquas thermales ſuis temporibus ὕδατα φαρμακώδη vocatas, inque medicinae uſu jam uſurpatas fuiſſe, aegrotosque non ſolum corpora in eis abluere, ſed & potare ſolitos eſſe.

De Arte curat. ad Glaucon. I. 9.

De Sanit. tuend. IV. 4.
De Medicam. ſec. loc. III. I.

Non immerito igitur Recentiores Medici totas animi vires in perquirendis ac inveſtigandis harum aquarum elementis poſuerunt, unde tot tantique clariſſimi viri in perficienda earum analyſe apud varias orbis nationes, Chemiae ope, diligen-

genti induſtria ac ſolertia elaborarunt. Nec Thermae ſolum, ſed acidulae aquae, quae apud Gallos, Anglos, Germanos, & Italos abundantiſſimae exiſtunt, ſumma cura illuſtratae ſunt, & earum vires & indoles detectae, ac quibus proſint aegrotantibus abunde patefactae, ut homines hoc naturae auxilio & largitione uti poſſint ad recuperandam priſtinam ſalutem, ac ſeipſos a morborum impulſu ſervandos.

Medicorum antiquiſſimus Hippocrates, *qui primus medendi praecepta clariſſime condidit*, veterumque medicinam in ordinem reduxit, nullam penitus de medicatis aquis mentionem facit. Solummodo in libro *de aëre, locis, & aquis*, quem ad ſanitatis tuendae artem ſpectare, & ad Gymnaſticen referri, quae illius artis pars eſt, Galenus ad Traſybulum ſcribit, & Erotianus inter αἰτιολογικὰ καὶ φυσικὰ refert, de cognoſcenda aquarum ſimplicium natura diſſeruit, ut poſſent optimae, ac puriores ab illis dignoſci, quae ob ſuas impuritates humano corpori infenſas multum nocent: memi-

Plin. hiſt. Nat. xxvi. 2.

p. 284. edit. Foël.

nit tamen aquas ὅσων εἶεν αἱ πηγαὶ ἐκ πετρέων· σκληραὶ γὰρ ἀναγκη εἶναι. ἢ εἴτε ὄχθ θερμαὶ ὕδαταί ἐσιν. ἢ σίδηρ@ γίγνεται, ἢ χαλκὸς, ἢ ἄργυρ@, ἢ χρυσὸς, ἢ θεῖον, ἢ συπληρία, ἢ ἄσφαλτον, ἢ νίτρον. ταῦτα γὰρ πάντα ὑπὸ βίης γίνονται τῇ θερμῇ, *quarum fontes in ſaxoſis locis ſunt (quas duras eſſe neceſſe eſt)*

eſt) aut ſi ubi calidae aquae exiſtunt , aut ferrum naſcitur , aut aes , aut argentum , aut aurum , aut ſulphur , aut alumen , aut bitumen , aut nitrum . Haec enim omnia caloris vi proveniunt . Sed heic Hippocrates de iis tantum calidis aquis, quae in metallis erumpunt , locutus eſt , quod ex eo intelligi clariſſime poteſt quod in ſalubres judicat

ὁ τοίνυν ἐκ τοιαύτης γῆς ὕδατα ἀγαθὰ γίνεται, ἀλλὰ σκληράτε καὶ παυσώδεα . διαρέεσαι χαλεπὰ καὶ πρὸς τὰ ἀφεδρήσιν ἐναντία εἶναι , *neque igitur ex hujusmodi terra bonae aquae naſcuntur, ſed durae , & aeſtuoſae , quaeque per urinas non facile feruntur , & alvi egeſtioni adverſantur* . Et merito , nam quum hujusmodi naturae ſint , quae in Metallorum fodinis prodeunt , ut ex ipſis foſſilibus cruda , terrea , & conſtringentia hauriant ramenta , ipſe Medicorum facile Princeps rejiciendas jure cenſet . Explicatur hoc quidem ex Vitruvii loco , ubi Auctor non ineleganter horum fontium peſtilentiam definit , nec non quibus ex cauſis corporis diverſimode noceant , ſcitiſſime oſtendit . *Ubi vero aurum , argentum , ferrum , aes , plumbum , reliquaeque res earum ſimiles fodiuntur , fontes inveniuntur copioſi , ſed hi maxime ſunt vitioſi . Habent enim vitia contraria aquae calidae , quam ſulphur , alumen , bitumen emittit , qui per potiones , cum in corpus ineunt , & per venas* Lib. VIII. 3.

per-

permanando nervos attingunt , & artus eos durant inflando . Igitur nervi inflati , ac turgentes ex longitudine contrahuntur , & ita aut neuriticos , aut podacricos efficiunt homines . Summopere naturalis philoſophiae , ac medicinae ſcientia callebat: eique perfacile fuit de Thermis , earumque varietatibus largum habere ſermonem . Suo enim tempore non pauca veterum Graecorum ſcripta extabant , in quibus , uti ipſe aſſerit , multa in-
Lib. VIII. 4. venit . Et quidem Theophraſtus , Timaeus Poſidonius , Hegeſius , Herodotus , Ariſtides , Metrodorus magna vigilantia , & indicibili ſtudio locorum proprietates , & aquarum virtutes ſcriptis declararunt , quorum ſane libri hodie deſiderantur . Praeclare tamen Hippocrates aquarum calidarum medicinam in balneis commendat , praecipue in libris ubi *de victus ratione* diſſerit . At non de ſponte e terra erumpentibus agit , quoniam tunc incognitae , aut minus in uſu habebantur , ſed de iis tantum , quae igne praeparari ſo-
In Diſſert. de Therm. Herc. p. 88. lent , ut alibi diximus , quas in deliciis conſtituit Homerus ad arcendas animi aegritudines:

Odyſs. VIII. 230.

Αἰεὶ δ' ἡμῶν δαὶς τε φίλη , κίθαρίς τε , χοροίτε ,
Εἵματα τ' ἐξημοιβὰ , λοετρά τε θερμὰ , καὶ εὐναὶ .

Semper autem nobis conviviumque gratum & cithara & chori ,

Ve-

Vestesque mutatoriae, lavacraque calida, & cubilia. Heic locus videtur opportunus detegendi Plinii allucinationem, qui Homerum calidorum fontium non feciſſe mentionem demiratur, quanquam lavari calida frequenter morem indicaverit, *quia medicina tunc non erat haec, quae nunc* aquarum *perfugio utitur*. Sed fugit virum doctiſſimum locus ſummi poëtae in Iliade, ubi fontes natura calidos meminit, quem ſingulari benevolentia mihi indicavit Illuſtriſſimus Abbas Joſephus e Principibus a Thrauthſon Graecis Hebraeisque literis multum verſatus. xxxi. 6. xxii. 147.

Κρηνὼ δ' ἵκανον καλλιῤῥόω, ἔνθα δὲ πηγαὶ
Δοιαὶ ἀναΐσσουσι Σκαμάνδρου δινήεντος·
Η' μὲν γὰρ θ' ὕδατι λιαρῷ ῥέει, ἀμφὶ δὲ καπνὸς
Γίνεται ἐξ αὐτῆς ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο.

Ad ſcaturigines autem pervenerunt pulchre fluentes, ubi nempe fontes duo erumpunt Scamandri vorticoſi: alter quidem aqua calida fluit, circumque fumus oritur ex ipſo veluti ab igne ardenti. Verum quum poſt Hippocratem aquae thermales in medicinae uſu jam fuerint receptae, de quibus plura in diſſertatione *de Thermis Herculanis*: inquirendum nunc reſtat, quomodo antiqui Graeci, quomodo recentiores medici ipſarum levitatem, gravitatem, aut vires exploraverint. Conſtat autem p. 90.

antiquos Medicos aquarum mineralium naturam noviſſe tantum ex ſapore, odore, colore, ac pondere, uti Hippocrates de ſimplicibus aquis faciendum praecepit, qui omnibus, qui medicinam facere optime cupiunt, inter alia, aquarum facultates in unaquaque regione ſcrutari jubet, ac diligentiſſime perquirere

De Aëre, loc. & aqu. p. 280.

ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ σόματι διαφέρουσιν, καὶ ἐν τῷ σταθμῷ, ὅτω καὶ ἡ δύναμις διαφέρει πολὺ ἑκάστη, *quemadmodum enim guſtu, & pondere, ita & facultate ſingulae plurimum differunt*. Hunc morem aquarum mineralium levitatem examinandi ad ſtateram literis conſignavit Athenaeus, ubi de Peirenes fontis in Corintho aqua ſermonem habuit, quam appenſam tradit, levioremque fuiſſe deprehenſam reliquis omnibus totius Helladis

II. p. 43.

σταθμήσας τὸ ἀπὸ τῆς ἐν Κορίνθῳ πειρήνης καλουμένης ὕδωρ κουφότερον πάντων εὗρον τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα, *Peirenes fontis in Corintho aquam ego cum ponderaſſem, omnium, quae in Graecia naſcuntur, leviſſimam deprehendi*. Sic etiam aqua quaedam mineralis Diocletiani temporibus inventa, ad ſtateram levior Tiberina fuit judicata, ut indicat marmor apud Gruterum

CXXVIII. 5.

CLXXVIII. 5.

LEVIOREM. CVRANDIS.
AEGRITVDINIB. STATERA.
IVDICAT. TIBER

Et alibi.

AQVA. LEVIOR. TIBERI. STATERA. IVDICATA.

Incertum tamen eſt, nulliusque momenti hoc examen, quodve induſtriam optimi Medici eludit, adſtantiumque ſpem fruſtratur. Aliam viam tentarunt, qui Arabum doctrinam ſectati ſunt, in diſcutienda aquarum gravitate, vel levitate. Duos pannos laneos, aut lineos accipi jubent, vel goſſipia duo pondere viciſſim paria, quae aquis, quarum levitas in dubium vocatur, eodem temporis momento madeſcant; dein ſollicite ſimul extracta nullo loci, temporisve diſcrimine ad ſiccandum ponantur. Tunc ea levior cenſenda erit, cujus pannus, aut goſſipium, prius fuerit exſiccatum; nam partium tenuitas levitatem arguit: quapropter ſi eadem poſtea imponantur trutinae, tunc conſideratis ponderum momentis, levitatis dubium aufertur. Alii contra cylindro ligneo aquis injecto leviores probari poſſe adſtruunt, hac quidem ratione, quia quo levior aqua eſt, eo & tenuiſſima, ideoque injectum corpus facile ipſam permeat. Hinc marina quoniam gravior, pergrandia ſuſtinet corpora. Verum tentamina, quae cylindrorum ſtaticorum ope ad pondus aquarum explorandum effici hodie a nonnullis ſolent, lubrica admodum, & fallacia ſunt, quum diverſa ratione

quantitas materiae, quae in acidulis, Thermisque ineſt, quam vini, cerviſiae, urinae humanae, fontiumque aquae communis examinanda ſit: nam quamplurimis experimentis, atque obſervationibus edocemur, quod hydrometer ſi in aquam a fonte recenter exhauſtam demergatur, maxime ſurſum fertur, & gravitatem quandam mentitur; contra vero ſi poſtera die in eandem aquam immittatur, altius deſcendit, & aqua majorem praeſeferre levitatem videtur. Cujus rei φαινόμενον non alia ex cauſa progignitur, quam ex illo ſpirituoſo, ſubtili, & expanſivo aëreo-aethereo elemento, quod minerales aquas abundantiſſime fovet, atque in auras ſurſum elaſticitate ſua corpora demerſa repellit. Quapropter ubi ab aquis in auras evolavit, deſinit, atque penitus aufertur niſus ille: ſicque inſtrumentum in profundum libere mergitur, ideoque aquarum levitas exactiſſime hac via nequit dignoſci. Nequit etiam juſtum ipſarum pondus per lancem hydrometicam, nec elementorum copia, quae in ipſis inſidet, inveſtigari, ſi expectamus donec ſubtiliſſimum illud principium aquis ſe ſubduxerit. Etenim eo penitus diſſipato, aquae, ut plurimum fiunt turbidae, & ochreae partes unionem aliarum ingredientium partium deſerentes, ad ima deferuntur, ita ut earum pondus, vel

levi-

levitas non poſſit penitus explorari. Denique multo minus inſtrumentum hoc hydroſtaticum idoneum, aptumque eſt ad Thermarum gravitatem perquirendam; quandoquidem omnes aquae calore rarefactae, leviores fiunt, ac minoris ponderis: quo accidit, ut injecto calidis ollis inſtrumento, eximiam levitatem oſtendant; perfrigeratae autem, cylindro ad ſuperiora evecto, gravitatem longe majorem indicant. Et quidem ſolent aquae quandam peculiarem vim, ac conditionem ab exhalationibus terrae adſequi, non ſolum ubi permanent, ſed & quum per ipſius viſcera fluunt; nam varias aliorum corporum particulas in ſe recipiunt, ex quarum mixtione diverſis ſe induunt qualitatibus: unde aliquando ſalſas, ſulphureas, & alterius naturae experimur, quum aliquam ſenſibilem ſulphuris, ſalis, aluminis, vel metalli materiam continent, veluti ferri, aeris, & hujusmodi: quapropter calidae ſunt, & vario vel ſapore, vel odore, vel calore praeditae, ac virtute aliqua ceteris ſunt inſignes. Quod licet verum ſit; tamen arduum & ferme impoſſibile videtur hac methodo aquarum vires, & facultates poſſe perfectiſſime explorari. Nam ex diverſa earum partium compoſitione ac natura, quamplures in noſtris ſenſibus impreſſiones naſcuntur, quarum

rum auxilio vix poſſumus inveſtigare omnes minutiſſimos ipſarum nexus, atque eſſentias, ex quibus ſapores, colores, aliaeque hujusmodi qualitatum ſpecies reſultant. Quam ob rem Veteres hanc methodum adhibentes ſe ipſos fefellerunt in exquirendis aquarum mineralium dotibus, & multum quoque a vero aberrabant, ubi eas aegrotantibus praeſcripſerunt: quum ignoraverint, quibus morbis opem ferre poſſent, ſicque pauciſſima ſuis in ſcriptis inveniuntur, quae harum uſum pleniſſime commonſtrent.

A Recentioribus vero philoſophis, & in rebus Medicis plurimum verſatis hoc melius praeſtitum eſt. Hi enim aliis veſtigiis inſiſtentes ingenti ſtudio univerſa elementa, quae ex variis corporum generibus aquae ipſae mutuari ſolent, funditus perſcrutati ſunt, non alio auxilio adjuti, quam Chemia, quorum aliqui quanquam magnis ejus ſcientiae, ac phyſices ſimul praeſidiis inſtructi, rem adgreſſi ſint; multum tamen auctoritatis veterum praejudiciis obcaecati in earundem elementis perquirendis longiſſime ſunt allucinati. Pauci quidem fuere, quos ea Chemiae poſuiſſe fundamenta conſtat, quibus inniteretur hujuſce artis juſta, & philoſophica enarratio. Ceteri autem, non quae revera eſſet indoles corporum mechani-

ca

ca indagaſſe videntur , ſed ſuo arbitrio leges , & affectiones corporibus affinxerunt , quae nec mechanicae , nec ſibi congruerent . Huic autem arti nemo majorem attulit lucem , quam inſignis ille Philoſophiae experimentalis inſtaurator Boylaeus , qui non ſolum nova , ac firmiſſima Chemiae conſtituit fundamenta , ſed & vetera dejecit , ac uberem nobis materiem reliquit , unde erui poſſet vera , & ſolida rerum explicatio , quam etſi in paucis ipſe attigerit , aliis tamen viam aperuit , ut univerſam Chemiam ad mechanica genuina principia perduxerint , ac perfecerint . His igitur poſitis operae pretium eſt nunc ad exponendas noſtrarum Thermarum facultates accedere , quod fieri optime non poteſt , niſi prius attentiſſime , quibus elementis componuntur , conſideremus . Cognitis enim iis perfacile erit judicare , quomodo corpori humano in expellendis malis auxilium per eas afferatur . Hinc primum animadvertere oportet , noſtras aquas adeo calidas eſſe , ut paullulum manum in ipſis habere prohibeat eximius earum calor .

Perdifficilis , & perobſcura tam apud veteres , quam Recentiores habita eſt quaeſtio de cauſis , quae calidas efficiunt aquas . Unde doctiſſimi viri ingenio perfecti , ac induſtria elaborati operam in

eis

eis dilucidandis diligentem dederunt, quorum opiniones heic afferre longum foret, atque moleſtum; ideoque nos tantum magis receptas inſerere judicamus, ut iis ad trutinam redactis, perſpicere poſſimus, quaenam magis & naturae legibus & rationi conveniat. Plurimi veterum hunc aquarum fervorem ex igne deduxerunt, quem in terrae centro coactum per ipſius rimas, atque hiatus ubique diffundi autumarunt. Quam ſententiam quum longe a vero diſtet, facilius eſt explodere. Nam ſic omnes aquae, quae in ſuperficie terreſtri erumpunt, calidae deberent eſſe, ob ipſiſſimum illius ignis effectum. Quibusdam vero Soli calorem Thermarum adſignare placuit, quum tamen ejus radii non ſolum abditos telluris cuniculos pervadere non poſſunt, ſed & Solis acceſſu, diſceſſuque eundem fervorem aquae ipſae ſemper retinent. Huc accedit, quod alii fontes Solis radiis etiam patentes ferverent, quod experientiae adverſatur. Qui vero in Chemicis rebus ſunt verſati, ab acidi, & alkali effervescentia, necnon calcis vivae cum aquae congreſſu, admirandam hujus φαινομένε cauſam arceſſere contendunt. Verum ipſos, ut alia omittamus, in errorem abreptos manifeſtum eſt; quoniam ſi hoc verum eſſet ſal neutrum, quod ſemper, ut

uſus

uſus nos docet , ex horum commixtione conflari ſolet , in Thermis obvie reperiretur , quod autem non evenit . Quin etſi calcarii lapides ſub terra exiſtunt , nunquam tamen eorum materia niſi prius igne fuerit peruſta , aliquem impertit aquae calorem . Sunt & alii , qui generalem aquarum calidarum rationem , ac originem ſoli bitumini adtribuunt , quia illud in aquis ardet . At hi etiam longiſſime a veritate aberrarunt . Nam fontes qui calidi ſponte e terra emanant , bitumine referti forent , quod certe non comperimus , imo & rariſſime memorantur ab Auctoribus aquae , quae ex bitumine flammas emittunt ; atque hae item invalidae plerumque in ipſis fontibus ſunt , quod Plinius de aquis Scantiis tradit , quae nec fraxinum virentem inficere valebant . Tandem falſum adhuc eſt , quod bitumen in aquis contineat ignes . Etenim id prorſus contrarium ejus naturae obſervatur , quoniam ubi in iis accenditur , ſtatim foras ſuper aquarum ſuperficiem erumpit . Praeterea quod vel maximum eſt argumentum , quo funditus evertitur ſententia haec , pro comperto habemus , fontes ſcaturire uniformi , ac perpetuo calore : At bituminis incendia , flammae , ſeu ardores non ſemper eadem exiſtunt ; ac propterea ex ipſis calidas generari aquas exiſtimandum non eſt .

II. 107.

Solida quidem, ac veriſſima caloris in Thermis ratio videtur a communicatione, & acceſſu igneae ſubſtantiae derivare, eodem ferme modo, quo accidit aquis, quae igne admoto cálidae fiunt, ac ejus abſentia refrigerantur. Quapropter occultus in telluris receſſibus, ac reconditus ignis praeterlabentem aquam tepidam, vel ferventem efficit. Difficile autem eſt aliis principiis hujus ignis productionem in terrae viſceribus definire, quam a ſulphureis, & pinguibus corporibus. Quae enim ſulphure conſtant, non modo flammas procreant, ſed etiam ob celerrimum motum in earum particulis excitatum, facile in ignem convertuntur. Idque ex ferro ediſcimus, quod quum metalli ſpecies valde ſulphurei ſit, prae omnibus adprime ad calorem, atque ignem concipiendum aptum, idoneumque experimur, atque ejus fragmenta abraſa, ſi tenui flammae inſpergantur, illico lucidas effundunt ſcintillas. Quocirca veriſimile videtur, ac experientia quoque firmatur, calorem in aquis excitari ex marcaſitis ſulphureis, ſive pyritibus in terra accenſis. Etenim aequalis pars ſulphuris communis, & ferri raſurae ſimul conglutinata, ac in ſubtiliſſimum pulverem redacta, & invicem miſta, adjecta parva aquae copia, ſi vigintiquatuor horarum ſpatio poſtea in quodam vitreo vaſe recondantur, vehemen-

menter ebullit, atque ad ipſius vaſis fractionem incaleſcit, majusque occupans ſpatium, fumum, flammasque emittit ſi aëri exponatur. Itaque quum aliud non ſint marcaſitae omnium Chemicorum ſententia, quam quaedam materia ex ferro, & ſulphure coagmentata, facillime poterit judicari, quod quum magna, & ingens in terra earum copia exiſtat, non ſolum aquarum acceſſu principiorum ſolutionem, quibus conſtant, effici, ſed mutua deinde inter ſe actione, atque reactione, intenſiſſimos oriri aeſtus poſſe, qui aëre per abditos telluris meatus libere ingrediente, in apertiſſimam erumpant flammam. Nam mirifice aër ſuo elatere calorem partium componentium circumagit, & auget, quae ideo lumen emittunt. Ignis enim quoties per lineas rectas oculos noſtros intrat, ex motu, quem fibris in oculi fundo communicat, ideam luminis in mente excitat, quod facile probatur ex obſtaculo, quo lumen intercipitur. Hic vero rectilineus motus in caloris productione non deſideratur, ſed magis aptus videtur quidam irregularis, ut ex ſequenti experimento clariſſime deducitur. Solis radii directe ab ipſo ad montis apicem pervenientes, ſenſibilem caloris non edunt effectum, ſed in valle, ubi irregulari motione variis, reflexisque percuſſionibus agitantur, calorem

ſaepiſſime creant maxime intenſum. Hoc igitur ſubterraneo igne per ingentes telluris tractus praeterlabentes incaleſcunt aquae, ac non tantum pro hujus intenſitate, ſed & ſitu, locove propinquiore, vel remotiore ab ſulphuris metallis, majorem, aut minorem caloris gradum conſequuntur. Sulphur quidem multum ad excitandos hujusmodi aeſtus contribuit ex mutuo corporum ſulphureorum congreſſu, ac conflictione, quod contigit, quoties ipſum ſolutum agit in terras, & in metalla ferri, vel bituminis. Nam quum in terrae viſceribus ſulphur cum bitumine, ſeu alio foſſili, ſale acido adprime referto, ac marcaſitis eſt commixtum, & in acervos congeritur; tunc acidum vitrioli, quod in ipſo ineſt, liquatur, & actione ſua in materiam illam bituminis, vel alia in metalla agit, unde maximum congenerat calorem, & aliquando quoties tellus ipſa ſummis ſcatet meatibus, per quos aër copioſe ingreditur, flammam facillime procreat. Hinc experimento conſtat, marcaſitas, glebasque ſulphureas, ex quibus vitriolum conficitur, aëri lucido, & pluvioſo expoſitas, brevi temporis intervallo aeſtum pergrandem producere. E quibus evidentiſſime comprehenditur, ſulphur ſubterranei ardoris, ac ignis ortum, veramque eſſe cauſam, atque ideo anti-

qui-

quitas, quae balnea religioſe,& ſacris etiam verebatur nominibus, divinam iis, ſulphuris cauſa, tribuit naturam. Graeci enim communi nomine illud cum divinis rebus θεῖον appellarunt, atque, ut Plinius tradit, in religionibus quoque obtinebat locum ad expiandas ſuffitu domos, *ſulphur* nempe *purum* θεῖον ἄπυρον Graecis dictum, quo & alia quoque purgabant. Achilles Jovipatri libaturus, poculum ἐκάτηϛε θείῳ Iliad. XV. 228. *ſulphure expiavit*. Eo itidem Ulyſſes in luſtrandis aedibus procorum caede pollutis, uſus eſt, ubi ad Eurycleam dilectam nutricem adloquitur

Οἶσε θέειον, γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ, Odyſ. XXII.
Ὄφρα θειώσω μέγαρον· 481.

porta ſulphur anus malorum medelam, porta autem ignem, ut ſuffiam domum. Tanta denique de ſulphure opinio invaluit, ut ſuffitu ejus daemones abigi, & terreri putarent, argumento, quod comitiales morbi, quos omnes a daemonibus agi perſuaſum erat, ſulphuris ſuffitu deprehenduntur. Plinius, *ceterum tanta vis ſulphuris eſt, ut mor-* XXXV. 20. *bos comitiales deprehendat nidore impoſitum igni*. Hinc Ariſtoteles aſſerit ſacras cognominari conſueviſſe balneas, quoniam eandem ſulphuris materiam, ac fulmen, continebant, quod veluti rem ſacram ab Jove, qui Homero dictus τερπικέραυνος, in terras ejaculari credebatur.

Illud

Illud etiam ſedulo conſiderandum, mineralem, & ſulphureum ſpiritum, quo aquae naturales incaleſcunt, ut diximus, adeo ſubtilem eſſe, ut ſubterranea loca permeat, ac metallorum venas inficiat. Verum ſulphureae marcaſitae quum motu expanſiori, ac majori vi agitatae tenuiſſimam hujusmodi ſubſtantiam foras educunt, aquae largius ea imbuuntur, ac cum eis conglutinatur ob meatus ampliores. Siccos namque, ſubtilesque vapores facile aquae cohibent, iisque vehiculum impertiuntur, quod experientia adhuc edocemur ſpiritus vitrioli, nitri, & ſalis, eſſe nil aliud ſunt, quam graciles, acidasque exhalationes in ipſo humido conſtipatas. Id veteribus Philoſophis haud obſcurum penitus fuit, Empedocli maxime, qui

Sanctius & multo certa ratione magis, quam
Pythia, quae tripode ex Phoebi, lauroque profatur.

Hic enim adſtruit ab ignibus ſubterraneis calorem in aquis excitari, cujus ſententiam eleganter Lucretius expoſuit, niſi dicere velimus, illius Graeca carmina περὶ φύσεως, ut ſaepiſſime ſolet, totidem Latinis reddidiſſe.

VI. 885. *Nimirum quia ſunt in aqua permulta vaporis*
Semina, de Terraque neceſſe eſt funditus ipſa
Ignis corpora per totum conſurgere fontem,
Et ſimul expirare foras, exireque in auras.

Pro-

Progignitur item ſimul cum his aquarum fervor ex ſalibus, quos in ſe ipſae continent, ac ex aliorum corporum particulis, quibus componuntur. Nam diſſimiles ſales, vel ſpiritus aquis etiam permiſti, atque confuſi, quoties ſales metalli alterius ac contrariae indolis, occurrunt, magnopere ſolent efferveſcere, caloremque aquis impartiri, ac thermales producere: necnon prout proxima, vel remotiſſima, abundans, vel parca extiterit materies aeſtus procreatrix, ita aquae ipſae minus fervidae, vel minerales emergunt. Comprobatur id clariſſime ex experimentis, nam ſi accipiantur liquores acetoſi, corallisque, & marcaſitis affundantur: vel ſpiritus vitrioli cum ſale, aut oleo tartari, aut quicunque alii ſalini ſpiritus cum volatilibus alkali fixis, aut fluorem adeptis: vel tandem, aqua fortis cum ferro, aut cupro, vel ſpiritus vini cum oleo therebintae commiſceantur, valde omnes efferveſcere ſumma contentione, ac conflictu videbuntur, quoniam vehementius increſcit motus. Neque heic omittenda quaedam obſervatio, quam clariſſimus medicus Henricus Rochas ſuis ſumptibus, ac operariorum laboribus fecit: perſcrutatus eſt aquas, priusquam ebullirent, frigidas, & ſalibus quibuſdam oneratas, quum vero in metallum inciderent hermeticis,

cis, vel thermalibus diſſimilibusque ſalibus refertum, calidas fieri ob acerrimum eorum incurſum, colliſionem, ac pugnam. Manifeſtum igitur ex dictis apparet, noſtras Thermas, quoniam calidiſſimae ſunt, continere in primis hunc mineralem, & ſulphureum vaporem, qui praecipua, & ſingularis tantarum virium cauſa habetur, quove univerſi ferme medicati fontes pollent: aquae etenim noſtrae recenter ex ipſo rivulo hauſtae copioſe ebulliunt, quod absque dubio ſulphurei vaporis elaſticitati tribuendum videtur. Quibus congruit loci Thermarum indoles: decurrunt namque a Tranſilvaniae montibus, e quorum radice emergunt, ſulphureumque edunt anhelitum, qui longiſſime ſenſus afficit. Cuinam non nota eſt in montium abditis pergrandis marcaſitarum copia: natura enim inſignes ferri venas omnibus fere terrarum regionibus nimium elargita eſt, ex quibus profecto mineralis ille, atque ſulphureus vapor arceſſendus videtur.

Obtinent etiam quandam martialis terrae partem, quae ſane omnibus Thermis, acidulisque aquis communis eſt, ut indicat ipſarum ſapor paullulum adſtringens, atque facillime dijudicatur ex ochra, quae non minus in ipſa inſidet ſcaturigine, ſed & in ductibus, per quos aquae labun-

buntur, deprehenditur . Nullus enim fons hujusmodi naturae reperitur , qui eam materiam non deponat magis , vel minus flaveſcentem , quae optime calcinata exhibet pulverem , cujus aliquae particulae promptiſſime magneti conjunguntur .

Thermae item noſtrae quandam ſulphuris copiam poſſident , cujus odorem longe ſentiunt incolae . Sulphur quidem , ac hydrargyrum in cunctis reperiuntur metallis ; nam perſpicuum eſt , ipſa ſi arte ſolvantur , ea continere elementa , ac ſulphureum halitum , dum comburuntur , longiſſime emittere . Id confirmant pariter metallorum venae , quae ut plurimum ſulphure , nitro , aliisque foſſilibus ſcatere deprehenduntur . Confirmat & inſigne ſpeculum uſtorium Pariſienſe , quo cuncta metalla expoſita in auras abeunt , relicta parva terra vitri ſpeciem exhibente : tenuiſſimae namque partes ac volatiles ſulphureae potiſſimum Solis radiis , tanquam cuneo , divulſae ac impulſae extruduntur , & ab arcto aliorum elementorum nexu liberatae , tenues in auras labuntur . Sulphuris autem natura , quae plane , ut ſenſu percipitur , eſt mineralis quaedam terrae pinguedo ſicca , ac foetida , adeoque accenſu idonea , ut facile calidos concipiat aeſtus , atque inflammetur .

In Monum. Acad. Scientiar. Pariſ. an. 1709.

Continuo etiam vegetat, & permagnum adipiſcitur incrementum ab incluſis terrae vaporibus: dumque incenditur, totum evolat, quoniam ex arctiſſima ſuarum partium unione vix fieri poteſt alteram ab altera dividi, quin reliquae tenues particulae non ſeparentur, atque in auras non aſcendant. Gravem item edit odorem oleoſa ipſius ſubſtantia, atque eo magis foetidum fit ſulphur, ſi igne cietur, vel calidis aquis, ut pluribus in locis accidit, diſſolvatur.

Compertum quoque eſt noſtris aquis ineſſe ſalem quendam alkalinae indolis, quem quidem in omnibus Thermis reperiri nemo amplius dubitabit, qui paullo accuratius medicatos fontes examinaverit. Hunc ſalem in noſtris aquis exiſtere ſatis inſigni conſtat experimento, quoniam obſervatur argentum prius in ſpiritu ſalis ammoniaci ſolutum, in iis infuſo nitri ſpiritu, adeo deprimi, ut id, veluti candida pulvis vaſis fundo inhaereat, unde ſale aliquo alkali refertae exiſtimandae ſunt. Id ſalis etiam fovent, quin ejus feraciſſimae ſunt aquae Carolinae. Etenim ex una earum menſura duae hujusmodi ſalis drachmae haberi poſſunt, quamvis non ſemper hoc accidat: ſiquidem omnes medicati fontes, ut liquet, pro temporum varietate, ac effluviorum differentia ſua elementa per-

mutant. Aquiſgranenſes item aquae, a Carolo Magno extructae, multum ſalis alkali amplectuntur; nam unum pondo vigintiquinque ejus grana largitur, quod cum quovis acido edit conflictum, in aëre deliqueſcit, ſyrupum violarum viridem reddit, & argenti ſolutionem demittit. Sal iſtud alkalinum, quod in Thermis invenitur, ſuam ducit originem ex ſpiritu minerali, qui quoties cum calcaria terra, quae in ipſis fontibus exſuperat, coit, atque miſcetur; tunc ob ſubtile acidum, quod in ſe fovet, in ſalem alkalinum degenerat. Patet quidem variis, multisque experimentis ex Chemia petitis, ex calce viva, creta, gypſo, topho, omnisque generis alkalinis terris, acidorum ſpirituum admixtione, vel etiam ſolummodo ſalis aluminoſi vitrioli, ac communis, ſales alkalinae indolis confici poſſe, cum quibus ipſiſſima experimenta, quae cum eodem aquarum ſale inſtituuntur, aeque procedunt.

Sale communi adfluunt inſuper noſtrae Thermae, quod ex ipſarum aquarum analyſe educitur. Nam ab ea cryſtalli cubicae conſequuntur, quae ex omni communi ſale ſive ex aqua marina, ſive ex gemmeo, aut ex fontibus, ſemper eliciuntur: omnis enim terra videtur ſalis particeps eſſe, ideoque nulla reperitur medicata aqua,

quae ſalem non ſapit. Accedit quoque, quod in Tranſilvania, quae antiquae Daciae pars erat, quamplurimae ſalſae aquae reperiuntur, ac ſal ſciſſile, & montuoſum vegetat. Ptolemaeus loci cujusdam meminit duodecim millibus a Patavi-
Zamoſc. in Analect. c. 19. ſa diſtantis, qui Σαλῖναι dicebatur. Nunc ſunt ad Tordam, ubi ſal effoditur. Origo autem ſalſarum aquarum, non ex mare, ut antiqui falſo opinati ſunt, ſed ex eo emanat, quod aquae interiora terrae loca permeantes, per communes, aut alius ſalis mineralis venas effluunt, partesque ejus liquatas ſecum trahunt, unde ſuperiora petentes, ſalſos, ac medicatos progignunt fontes, quorum quidam abundantiſſimo ſale, quidam modico ſunt imbuti, prout ſolum ipſum minori, aut majori ſalis copia abundat, vel aquae ipſae illud abſorbent.

Non deeſt pariter nitrum, quod non multum a ſalis communi natura abhorret, etſi minoribus conſtet particulis, unde & ſubacre eſt, ac magis gratum, quam ſal. Repertum autem eſt in noſtris Thermis, aquarum deſtillatione pluries repetita, nitrum, nam omni aqua funditus evaporata remanent quaedam oblonga, & paullulum acuminata, ac pellucida corpuſcula amari ſaporis, ac ſubfrigidae ſenſationis, quae quum in modica

dica aqua reſolvantur, clariſſime demonſtrant naturam ſalis nitrum habere, quod, ut doctiſſimus Hermannus Boerhave in ſua *Chemia* opinatur, evidenter apparet, nec alkali eſſe, nec acidum, nec ex ſe inflammabile, omniumque ſalium facillime fuſile ad ignem; non ſolum igne leni funditur totum ſine crepitatione, manetque fuſum inſtar aquae purae, nullam patiens naturae ſuae mutationem, ac nihil fere quidquam exhalans; ſed nunquam ſic fuſum flammam concipit, nec caleſcit, aut fit acrius. Nitrum in cryſtallos ſexangulos, tenues, longas, & aliqualiter ſolidas concreſcit, quae ſua latera parallelogramma habent. Sunt tandem aquae in noſtris Thermis ſingulari ac exquiſito nitore, & eximia levitate praeditae, quae tanta eſt, ut commixtis quibusvis liquoribus & acidis, & alkalinis propriam claritatem integram, atque intactam ſervent, necnon frigefactae hydroſtatici inſtrumenti ope coeleſtes aquas levitate ſuperare expertus eſt Crammerus. Praeſtantiſſimae enim aquarum dotes ſunt non ſolum puras, limpidasque eas hauriri, ſed & leviſſimas eſſe, unde earum fontes peculiari quadam, ac incredibili ſalubritatis nota condecorantur, & eximiis in medendo pollent viribus. Hinc Athenaeus tradit Homerum aquam pellucidam, & claram com-

Part. III. Proceſs. 128.

commendaſſe ; imo τὸ δὲ δὴ κῶφον καὶ παλαιον & τιμῆς ἄξιον ἥμερον καλεῖν, *& eam, quae ob levitatem caeteris praefertur, optabilem appellare*. At inquiet aliquis, quum Thermae noſtrae limpidiſſimae fluant, ſalium, aliorumque mineralium ſteriles plane eſſe oportere. Verum id contra evenit : namque ex analyſe a diligentiſſimo, & peritiſſimo Medico Joachimo Crammero in Thermis ipſis facta, non modo ſal commune, ac nitrum inibi repertum eſt, ſed & terra adſtringens, atque humor quidam ſulphureus, & bitumen olens, in quo ſal alkali fixum ineſt. Harum quidem claritas non alia ex cauſa fit, ut opinor, niſi quod inopes ut plurimum ſunt materiae terreſtris, ac tantummodo tenues, & ſubtiliores quorundam elementorum particulas adſequuntur. Medicatae enim aquae, prout plures ſinus, terraeque anfractus praetervehuntur, ita variis imbuuntur virtutibus ſubterraneorum corporum, quorum aut vires, aut ſubſtantiam, aut utrumque ſecum trahunt. Hinc optime dixit Athenaeus ποιεῖ δὲ τὸ χεῶδες καὶ τὰς ἐπιχροὰς τῶν ὑδάτων, *aquarum talis color eſt, qualis terrae, quam lavant*. Et Plinius, *quippe tales ſunt aquae, qualis terra, per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lavant, ſucci*. Et quidem in Aſia lacus Sinnaus circumnaſcente abſynthio inficitur.

II. deipn. p. 41.

II. p. 42.

XXXI. 5.

tur . Laudandae igitur noſtrae ſunt , non modo ob nobilem , praeſtantemque naturam , verum etiam quoniam in novem diſpertiuntur fontes , qui etſi omnes iisdem elementis excellant , ampliore tamen , aut minore eorum copia , quam ſibi adnectunt , utiliſſimae diverſis morborum generibus curandis evadunt ; ideoque merito laudem , quam Plinius Bajanis aquis dedit , adſequi xxxi. 2. poſſunt . *Nuſquam tamen largius , quam in Bajano ſinu , nec pluribus auxiliandi generibus aliae ſulphuris , aliae aluminis , aliae ſalis , aliae nitri , aliae bituminis , nonnulla etiam acida , ſalſave mixtura .*

At ſilentio praeterire , priusquam ad ulteriora progrediamur , non expedit , VIR EXCELLENTISSIME , ſtudium , ac diligentiam Crammeri viri rerum Chemicarum experientiſſimi , qui in obſervandis noſtrarum Thermarum elementis ſedulo ſtillavit aquas , ut tam laudabili methodo ſulphur , nitrum , aliasque minerales particulas jam ſupra deſcriptas, ex aquis erueret , ac ſeceneret , quae poſtea Excellentiſſimus Comes Andreas Hamiltonius ſumma humanitate mihi communicavit , ut ex diſtincta elementorum ingredientium detectione non ſolum earum naturam , vires , ac proprietates ad Mechanices normam poſſim dirigere , & perſcrutari ; verum etiam utilita-

litatem , ac praeſtantiam in ſanandis morbis detegere. Medici quidem , qui fontium mineralium principia ſcrutantur , vel balneo-mariae aquam exhalant , vel vitreis vaſibus ipſam ſtillant . Sed prior modus , quoniam a fuligine , favillis , atomisque vix ſibi immunitatem tutam praeſtare poteſt , incertior eſt ; unde alterius uſus crebrior , veritatique eruendae aptior . Nam foeces , quae ab ipſa deſtillatione reſiduae ſunt , optime poſſunt diſtingui , non ſolum figura , colore , ſaporeque , verum etiam odore , tactu , virtute , ſeu operandi vi , atque efficacia . Solent enim ſales in cryſtallos diverſae figurationis , prout varia earum eſt conditio , una ſimul coacervari . Hinc communis in cubicas efformatur , & nitrum in ſexangulos tenues , longasque . Inſuper ſali nitroque color albus eſt , vitriolo viridis , ſulphuri flavovireſcens , rubet tandem ochra , palletque : ſic ſapor nitri ſalſus experitur , & amarus , ſalſusque vitrioli , atque acris . Diſtinguuntur quoque commodiſſime , ſi unumquodque eorum candenti lamine injiciatur : etenim quod funditur ut lac , alumen eſt : ſulphur liquatur , ſuoque odore ſe noſcendum praebet : ſal vero ſtridore pateſcit , atque nitrum tacite fluens praeterlabitur : ferrum autem , aes , aliaque metalla aegre digno-

ſci queunt ; ſola tamen ſedimenti corruptio eorum exiſtentiam nobis manifeſtat , quod vel aceto acri , vel aqua rodenti prompte corrumpendum eſt,atque his liquoribus exſiccatis , vel abſumtis , in ejus ſuperficie excrementa viſuntur , in quibus aerugo aes, ferrugo ferrum ineſſe aquis ſignificabunt : ſed nulla alia uſque adhuc optima ratio inventa eſt ad explorandum an ferreae particulae in Thermis adſint , quam ſedimentum ipſum in pulverem redigere , atque admoto magnete , attentiſſime obſervare , ſi ex eo aliquid ad ſe trahat , quod certiſſimum indicium eſt , ac ſolidum argumentum in iis ferrum contineri .

Plures denique alias vias adhibuerunt etiam in aquarum mineralibus indagandis , nimirum ut cognoſcatur , an in Thermis ſal acido-volatile ab alkali ſolutum inſit : uſi ſunt tinctura florum malvarum , quae ruborem in acidis liquoribus , viroremque in alkalinis ſtatim inducit ; idque facile expertus eſt clariſſimus Regis in examine , quod anno 1699. de aquis Thermalibus Balarae in Gallia Narbonenſi inſtituit ; nam , infuſa in eas eadem tinctura , ſubrubere coeperunt . Ita & ſpiritus vitrioli in aquis patefit infuſione tincturae heliotropoli , per quam rubedo excitatur , vel tincturae gallarum , quae nigredinem in eis progignit ,

gnit , non ſecus ac ſi cum vitriolo ipſo commiſceretur . Sic denique quum perquiritur, an ſulphur in Thermis exiſtat, uſurpatur pruna, quae in loco ſatis obſcuro aquas ſuperinjecta, praeter crepitum, quem ſalinae partes edere ſolent, coeruleas quasdam flammulas elicit, quae accenſum pyrium pulverem olet, quin primo ruborem, mox nigrorem adquirit, ſcintillis aliquibus emiſſis. Experitur etiam papyrus, quae in aquis ſulphureis infuſa, unguine quodam illinitur. Et tandem ſi aliqua aquarum ſubſtantia in ſpiritu vini per aliquod temporis intervallum ſoluta ſervetur, particulae quaedam pingues ſupernatantes emergunt. Demum quod ſenſibilis ſulphuris indicium eſt, terreſtris ejus pars, poſtquam ab omni ſale purgata, ſi in eundem ſpiritum vini immergatur, poſt aliquot dies ſulphur in Thermis exiſtens, oleoſae ad inſtar alicujus membranulae, in liquoris ſuperficie apparet.

Detecta igitur, VIR EXCELLENTISSIME, Herculanarum aquarum natura, illuſtratisque ſingulis earum elementis, nunc quibus morbis curandis optimae, ac praeſtantes ipſae judicentur, diſferemus. Et quidem jam ſupra miram, & indicibilem earum levitatem, nitoremque oſtendimus, quo nihil efficacius, nihilque magis integritati cor-

poris

poris conſervandae, morbisque explendis aptius cenſeri poteſt. Communi enim Medicorum ſententiæ non ſolum veterum, ſed & Recentiorum, leviores, atque puriores aquae mirifice pro ſanitate tuenda commendantur, unde toto conatu, & vehementi ſtudio ad harum indolem noſcendam animum applicuerunt. Inter eos prae ceteris emicuit clariſſimus Hippocrates, qui in aureo libello *de aquis* ſalubrium characteres, notasque nobis demonſtrat; ac ſigna quibus bonae ab infeſtis diſtinguendae ſint, diligenter enumerat. Summa profecto partium tenuitas, exquiſita puritas, & maxima levitas in cauſa ſunt, cur aquae minerales validiſſima vi adverſus morbos, ac mirabili polleant efficacia. Quapropter, quoniam neminem fugit, quod reliquis in dotibus, quibus aquae laudabiles fiunt, puritas, ac levitas praecipuae ſunt, quae fontes peculiari quadam ſalubritatis nota inſigniant; fateri convenit noſtras aquas, utpote leviſſimas, puriſſimasque, ob eximias in medendo prodeſſe facultates. Nam egregie conveniunt iis, quibus partes interiores tendinoſae, atque nerveae moleſtis diſtenſionibus torquentur, & graviſſime cruciantur, ut in malo hypocondriaco, colica, aſthmate, aliisque affectionibus ſpaſmodicis contingere ſolet, praeſertim ſi balneum non nimis cali-

dum, ſed tepidum uſurpetur; quoniam non omnes diu exceſſivum ipſarum fervorem ferre valent; atque ideo iis caſibus poteſt uno, ex noſtrorum fontium numero, magis remotiori ab ſua origine, veluti minus fervido, tutiſſime uti; quin etiam frigefactae, intusque hauſtae excellentem quamplurimis morbis opem adferre queunt. Puriores ſane, ac optimae aquae iis potiſſimum experimentis dignoſcuntur, nempe ſi vacuo Antliae pneumaticae poſitae, aëreque extracto, bullulas undique confertimque emittant, ac denique oleo tartari per deliquium, ut Chemici dicunt, vel lunae, aut ſacchari ſolutione inſtillatis non perturbentur, neque aliquid impuri demittant. Hujusmodi medicatae aquae rariſſimae ſunt, ideoque in ſummo habendae pretio, quoniam adprime ſanitati opitulantur, valetudines, morbosque acrius arcent, ac tandem quaſdam chronicas affectiones digerunt, & ſanant. Siquidem minimas corporis vaſorum anguſtias, atque tenuiſſimos percurrentes meatus, ad interiora viſcerum penetralia perveniunt, ibique dilutis denſis, lentisque humoribus, denuo ex vaſorum excernentium oſtiis promptiſſime egrediuntur, iisque rationibus perpetuam, bonamque valetudinem praeſtant.

Maximo item, atque praeſtanti adjumento noſtrae

ſtrae Thermae aegrotis ſunt ob ſulphureum illum; ac mineralem ſpiritum, qui terram omnem penetrans, aquas non modo acidulas, ſed & calidas inficit: hac tamen differentia, ut illae, utpote frigidae, ipſum etſi volatilem diutius coërcent, quod tamen in Thermis non accidit, ubi ob calorem promptiſſime in auras diſſipatur. Quapropter improbanda, ac profecto rejicienda eſt illorum conſuetudo, qui eas non ſorbent ubi erumpunt, ſed diſſita in loca aſportandas curant. Nam non minus propter eorum incuriam, qui incaute, & ſine diligentia aquas ipſas in ampullis excipiunt; verum etiam ob itineris longinquitatem, multum illius ſubtilis elementi evolavit, unde aegrotantibus nil, vel parum prodeſſe experimur. Hinc quoties neceſſitas poſtulat medicatas aquas longiſſime advehi potandas ab iis, qui aegrotant; ſedulo anguſtioris orificii vaſe firmiter eas includi oportet, atque non ultra ejus medium exhaurire: ea namque eſt cujuscumque generis aquarum mineralium indoles, ut ſubtilis, ac ſpirituoſa earum materies ſemper ſuperiora petat, quod experimento etiam confirmatur. Si enim ipſae in ampullis receptae, ac aliquo temporis intervallo conſervatae, in machinam Boyleanam immittantur, longe abundantiorem bullarum copiam ſupe-

periores progignunt, quam inferiores: non alia ratione, quam quod illae majore ſubtiliſſimi, atque elaſtici ſpiritus quantitate ſunt refertae. Tandem mineralis hic ſpiritus integram aquarum texturam tutatur, earumque corruptionem prohibet; ac propterea inutiles redduntur, ubi ſpatium aliquod in vaſe relinquitur vacuum, vel non accurate occluditur, itaut circumfuſo aëri pateat aditus.

Diſſert. to. II. edit. Ulmae 1726.

Clariſſimus Fridericus Hoffmannus in ſua doctiſſima de principiis & virtutibus praecipuorum medicatorum Germaniae fontium diſſertatione diligenter inveſtigat, ac in diſquiſitionem ponit, an incomparabilis illa mineralium aquarum virtus, quae jure merito valentiſſimis medicamentis adnumerari poteſt, ſalibus, aliisque elementis adſcribenda ſit? An vero cuidam ſubtiliſſimo principio, quod tantarum virium vehiculum exiſtat, quanquam non facillime in noſtros veniat ſenſus? Et ſane celeberrimus medicinae profeſſor, ac Philoſophus acutiſſimus illius ſpiritus efficaciae, ac eximiae naturae univerſam praecipue acerbiſſimos dolores molliendi, atque levandi facultatem adſignat, pluribus, diverſisque argumentis, quae magni momenti ſunt. In comperto enim habetur, Therinas non modo ac acidulas aquas longo temporis ſpatio liberiori aëri, ac praeſertim calido ex-

po-

positas, vel evaporationi, aut destillationi subjectas mirifice immutari, & pristinum saporem, pelluciditatem, & claritatem, ac demum vim ipsam una cum gallis tingendi, necnon suam saluberrimam virtutem funditus amittere. Accedit insuper, quod si sales Chemica arte educti terrae iterum cum aqua etiam purissima commisceantur, nunquam tamen ipsissimae naturae ac virium humor prodire queat. Quod apertissime demonstrat, minerales aquas tenuissimam materiam possidere, quae celerrime in auras se diffundit, sensibusque minime subjacet, atque elasticitatem summam continet. Quam ob rem ex his dilucide apparet egregiam medicatarum aquarum vim ab arctissima commixtione hujus subtilissimi elementi cum particulis fixioribus salinoterreis deducendam, ac derivandam esse, quarum nexu dissoluto non amplius aegrotis opitulantur. Igitur tenuissimus hic spiritus aethereo-elasticus omnibus medicatis fontibus admirandam inspirat facultatem, quam gravium morborum curationi prodesse experimur. Universos enim aquae minerales humani corporis canales libere pervadunt, densosque liquores excellenti ejus spiritus elasticitate solvunt, atque ex his quidquid mali est, praestanter extrahunt materiamque maxime glutinosam evocant, necnon

sa-

ſales, acresque particulas, quibus ſanguis abundat, leniter ſimul & reprimunt & emolliunt.

Patefactis igitur eximiis noſtrarum Thermarum dotibus, quae cum a levitate, nitoreque aquarum maxime commendantur, tum ab aethereo-elaſtico ſpiritu, quem copioſe poſſident, nunc ſupereſt earum uſum, viresque expendere ob ſulphur, bitumen, nitrum, ſalemque, quorum tenuiſſimis, exilibusque particulis ſunt refertae, uti ex analyſe conſtat. Ac de ſulphure in primis ſermonem inſtituamus.

Quis ſane prorſus ignorat ſulphur mirabiliter calefacere, humoresque excoquere, vehementiusque diſcutere, & emolliendi, exſiccandique naturam poſſidere? Utebatur ideo inter alia medicamenta Hippocrates ſulphure ad uteri ſuffitus, imo ſi aqua ex uteris effluat, ipſum una cum anſerino adipe delingere jubet. Apud Dioſcoridem, atque Galenum prolixiorem obſervamus ſulphuris hiſtoriam, vires, uſum, ac methodum praeparandi ex eodem remedia. Plinius pariter ejus facultates, atque indolem diligentiſſime exponit, ideoque quoniam calefacit, & concoquit, ac denique corporum collationes diſcutit, emplaſtris, malagmatisque apud veteres miſcebatur. Itemque renum, & lumborum doloribus una cum adipe praeſcribi ab ipſis mos erat. Adjuvat quoque tuſ-

De Superfoet. p. 265.

De Morb. mul. II. p. 664. v. 124.

IX. de ſimpl. facult.

XXXV. 15.

ſes

ſes ſuſpirioſas ; & purulenta extuſſientes, non ſolum in ovo ſumptum , ſed & ſuffitum . Podagricis cum aqua , & nitro illitum conducit , ac inſuper potu & balneo pravos in cerebro redundantes humores , omnesque totius corporis fluxiones frigidas deſiccat : cordis palpitationes a frigidis tumoribus derivatas curat , cachexiam emendat , viresque roborat . Utile ac praeſtantiſſimum etiam experiuntur artuum doloribus a Venerea lue profectis , quin & hydropem frigidam exſiccat , pituitoſos , & craſſos flatus ſolvit , ſteriles mulieres foecundat , & matricem tumentem , atque induratam commode lenit , & confirmat . Sulphuris uſus hydropicis opportunus Galeno habetur , quo uſum ad eandem valetudinem , ac inflationes profitetur . Aſclepiades item cum aliis ſimul , quae vim diſcutiendi habent , uti & Andromachus ſaepe illud adhibuerunt : imo & Galenus ipſe ad nervos laeſos uſurpavit pluribus cum aliis remediis adnexum.

De Compoſit. med. ſecund. loc. IX. 3.

III. 2.

Quantum vero ſulphuratae aquae aegrotantibus tutiſſimae ſint , non minus ex veteribus Medicis , ſed etiam ex Recentioribus comprehendere poſſumus . Plinius eas probat his verbis : *Eſt autem utilis ſulphurata nervis* . Oribaſius adhuc has nervos emollire , atque reſolvere , doloresque ſedare refert , quanquam ventriculum relaxare , ac

XXXI.

In Synopſ. I. 29.

pervertere falso opinatus est. Aretaeus quoque eas commendat pro aegrotorum refectione, atque Galenus affirmat, consueviſſe multos Vere, vel Autumno ad excrementa evacuanda, vel dejectoriis medicamentis uti, vel ſponte manantibus aquis, quibus aut ſulphuris, aut bituminis, aut nitri vis ineſſet. At experientia tandem exploratum eſt quantis polleant viribus Thermae ſulphureae, quae variis in regionibus e terra exiliunt: hinc Puteolis deprehenditur quaedam aqua bulliens ſulphure referta, quae deducta ad privatos uſus in balneis mirum in modum frigidis capitis affectionibus, artuumque cruciatibus opitulatur, aurium, oculorumque morbis medetur, viſcera corroborat, ſplenem attenuat, flatibusque diſcuſſus uterum abſtergit. Sic balneum aquae Cajae in Viterbienſi regione quum ſulphureae naturae ſit, uterinis multum favet paſſionibus, ut a mulieribus praecipuae dicatur. Nam menſtrua primis diebus adhibitum provocat, exſiccat, firmatque uteri lubricitatem; eaque de cauſa quidem recte exiſtimarunt ſterilitatem ſulphure emendari: hujuſce indolis forſitan erant aquae Synveſſanae, quae *ſterilitatem foeminarum abolere dicuntur*: vel aqua illa in Theſpiis, quae itidem παιδόγονον εἶναι γυναιξὶν, *prolem mulieribus largiri* dicebatur. Sulphur quoque robo-

De Curat. diut. morb. l. 5.

De Sanit. tuend. IV. 4.

Plin. XXXI. 2.

Theoph. IX. hiſtor. plant. p. 1167. edit. Amſt.

borat reliqua viſcera, membraque, & juncturas relaxatas inſtaurat.

Sunt & ad oppidum Bada dictum in Helveticis quaedam medicatae, ac ſulphureae aquae admodum calidae juxta Linagum amnem, quas antiquiſſimi fuiſſe uſus teſtatur Cornelius Tacitus, qui diu haec loca incoluit: In praeſentia ſaluberrimae ſunt ob ſulphur frigidis admodum, & humidis naturis, hiſtericisque paſſionibus, ac mulieribus foecunditatem impartiuntur. Faciunt pariter ad ventriculi imbecillitatem, jecorisque tollunt, ac lienis obſtructiones, detentos menſes, & ſuppreſſas id genus purgationes aeque provocant. Exiſtunt inſuper plures aliae variis in locis ſulphureae aquae, quarum virtutes enarrare heic omittimus; quippe omnes in diſcutiendis hujusmodi cruciatibus verſantur, ob ſulphur, quod Plinius *Harpacticon* vocari a celeritate avellendi, refert. At valentius adverſus cutis affectiones ſulphur convenit. Antiqui enim, ut ex Galeno habetur, ſulphur, quod trahentis ac abſtergentis eſt facultatis, necnon calidum, & tenuiſſimis partibus conſtans, non ſolum ictibus venenatorum animalium reſiſtere obſervarunt, verum etiam pſoras, ac lichenas, & lepras cum reſina terebinthina ſanare ſolet. Terebintha quidem ceteris praeſtat,

Hiſt. 1. 67.

xxx. 15.

De Simpl. virtut. 11.

ſtat, quin & digerit, ac abſtergit, itaut ſcabiem curat, & quae in profundo ſunt ſupra alias reſinas magis attrahit, ac foras repellit. Plinius, *aufert* (ſulphur) *& lichenas a facie cum terebinthi reſina, & lepras*. Et infra: *Vitiligines vivum nitro mixtum, atque ex aceto tritum, & illitum tollit*. Sed auxilium, opemque majorem in curandis morbis, qui cutim inficiunt, Graeci ab aquis ſulphureis, quibus hujusmodi aegrotorum corpora abluere ſolebant, experti ſunt. Hujuſce naturae fuiſſe ſuſpicor aquas in antro Anigriadum Nympharum in Elea ſitas, quae ἀλφὸς δὲ ϗ λεύκας ϗ λειχῆνας, *alphos, vitiligines, & impetigines* ſanabant. Galenus vir doctiſſimus tradit, virum quendam elephantiaſi laborantem profectum eſſe ad aquarum calidarum uſum ſponte naſcentium in Myſia Aſiae non procul a Pergamo. Sic etiam Aretaeus elephantiaſi laborantibus, quam τιλικὸν κακὸν, *ingens malum* appellat, λυτρὰ φύσει θερμὰ, θειώδη *balnea ſponte calida ſulphurata* praeſcribit. Elephantiaſis Aegyptiorum peculiaris erat morbus. Lucretius

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, nec praeterea uſquam.

Galenus multos in Alexandria ſuo aevo elephantiaſi correptos affirmat, quam antiquiſſimis temporibus in Syriam (unde Hippocrati νοῦσος Φοινικίη

au-

xxxv. 15.

Strab. viii. p. 347.

De Simpl. medic. facult. xi.

vi. 1112.

De Praedit. ii. p. 114.

audit) Hebraei ab Aegypto profecti devexerant: tandem ſub Pompeo Magno, qui Syros ſubegit, Romam commigravit, uti prius in Graeciam penetraverat. Sunt enim aliqui morbi, qui ab una in aliam Regionem propagantur. Sic & luem veneream poſt novi orbis detectionem ex America in Europam Hiſpani detulerunt: ſic etiam variolarum morbus Hippocrati, aliisque Graecorum Medicis, atque Latinis plane ignotus, ex Syria atque Aegypto ſaeculo undecimo aerae Chriſtianae ad nos deductus per eos, qui variis expeditionibus bellum ſacrum adverſus Arabes ſuſcepere pro recuperandis locis religioſis, in quibus Jeſus Chriſtus σωτὴρ ἡμῶν mortem obiit, ut in *Huetianis* oſtendit doctiſſimus Daniel Huetius.

Plut. Symp. VIII. Probl. 9.

Celſ. III. 26.

Sed de iis jam ſatis, nunc in viam redeamus. Aquae pariter noſtrae ſalubres habentur adverſus quaſdam aegritudinum ſpecies, quoniam bitumine abundant. Fuit ſane bitumen ab Hippocrate una cum aliis propriis remediis adhibitum in uteri ſuffitu ἄσφαλτον πριθῶν ἄχυρα ξυμμίξας ὑποθυμίην, *bitumen admixtis hordei paleis ad ſuffitum admoveto*. Utebatur eo Galenus, ejusque virtutem, atque vires ob moderatam calefactionem exſiccandi, ac glutinandi praedicat. Eſt enim pinguis, & oleoſus ſuccus plurima aërea, ac ignea ſubſtantia temperatus,

De Nat. mulieb. p. 575.

lu-

lumen atque flammam promptiſſime concipiens: unde in medicina diſcutiendi, emolliendi, atque glutinandi facultatem poſſidet; ideoque in ſacris
VI. 15. Bibliis מרבק *glutinoſum* appellatur. Sic & Plinio viſum, *ſequax ac lenta untura bituminis ad omnem contactum adhaerens*. Solino vero: *adeo lentum mollitie glutinoſa*, ut a ſe nequeat ſeparari; & a Jo-
De Bell. Jud. V. 5. ſepho δι ἐυτονίαν προσήρτηται τῷ μηρύματι τὸ σκάφος, *tenacitas bituminis, ob quam ad compages navium perutile*.
XXXV. 15. Atqui ante alios Plinius bituminis vires commendat, quibusque morbis proficiat, diligenter enumerat: oculorum ſuffuſionibus, & albuginibus efficax, lepras, lichenas, corporisque pruritus juvat: adverſus podagram illitum, optimum remedium etiam eſt, atque ad dentium dolores: tuſſim veterem, & anhelitus cum vino potum emendat: eodemque modo praeſcribitur dyſentericis, nam ſiſtit alvum: mitigat adhuc lumborum cruciatus, atque articulorum: ſanguinis effuſionem reprimit, ac coercet, vulnera colligat, nervosque
I. 85. glutinat. Dioſcorides affirmat uteri, & ſedis procidentiae valentiſſimum eſſe medicamentum, atque mulierum purgationes cum vino, & caſtoreo potum elicere. Demum clariſſimus Philoſophus,
p. 31. edit. Lugd. Bat. 1685. ac Medicus Henricus ab Heers in ſua *Spadacrene* aſſerit, ſe vidiſſe Germanos ad oculorum ſuffuſiones,

nes , & albugines maximo cum adjumento illud adhibuiſſe , itemque ad lepras , lichenas , corporisque pruritus . Bitumen quippe eſt pici ſimile , ut definit Svidas ἄσφαλτον δὲ ξήριόν ἐστι πίττῃ ὅμοιον , *bitumen autem medicamentum eſt pici ſimile* : Quin Avicenna bituminis virtutem refert eſſe קריב מן קוה אלזפת *vicinam virtuti picis* . Hinc Kimchio חמר , *bitumen* , מן זפת *ſpecies picis* . Pix enim aſthmaticos juvat , & purulentos : pice tumores crudi concoquuntur , & ad glutinandum plurimum valens , ut memoriae prodidit Galenus .

Inter bituminoſos fontes laudantur ſummopere ii , qui aliquem tenuiſſimum vaporem , vel bituminis faſtigium in ſe complectuntur , eoque unguine diluti , aquas etiam cum nitore emittunt : quapropter a ſapientiſſimis adprobantur Medicis , non modo in balneis , ſed etiam in potibus , quum bibentibus non adeo inſuaves ſint . Hanc ſane ipſiſſimam naturam continent Thermae noſtrae , nam minimam ſubtiliſſimamque bituminis materiam largiuntur . Hae igitur quum ejus multas nanciſcantur partes aëreas , calidas , atque humidas , non ſolum attenuant , ſed ſupra alia balnea peculiari facultate corpus , ejusque morbidas partes emolliunt . Quin & pro moderato bituminis calore modice etiam digerunt , attrahunt , ſiccant-

que ,

que, & denique glutinant: hinc ulcera commodiſſime conjungunt, atque recentia brevi ad cicatricem perducunt, ut in noſtris Thermis experimur.

In Italia quoque exiſtunt ipſiſſimae indolis fontes, veluti Bais, ubi quoddam balneum a Petreolo cognominatum, quo ſcaturit aqua partim diluta, partimque cum liquoris id genus ſpecie ſupernatante: quam uſu hactenus medicatam experiuntur, ac omnem pruriginoſam, & humidam cutis maculam exſiccat, contracta emollit, extenditque convulſos nervos, craſſaque extenuat corpora, fluxiones ſiſtit, gravedines, raucedines, idque genus ſimilia corrigit, atque reprimit. Hujus etiam naturam ſapit balneum *Culma*, quod ad Avernum ſitum eſt, licet majorem ſulphuris partem contineat, unde exſiccat valentius, minusque mollit. Ab Antiquis item commendatae ſunt bituminoſae
VIII. 13. aquae a potationibus. Sic Vitruvius eas in potibus ad interiora corporis vitia laudat. Archigenes, qui Neronis tempore vixit, & multo poſtea Aëtius, atque Paulus Aegineta ad propinandum ipſas dabant, veluti efficaciſſimas affectionibus inteſtinorum, atque veſicae, quin & mulierum inflationibus, & praefocationibus, & vulvae ſcyrro perutiles, necnon pudendorum ulcuſculis ſiccandis. Denique ex Galeno cholicis, nephriticis, ac Ilei do-

lo-

loribus prosunt. Improbantur tamen aquae illae, quae sincero refertae sunt bitumine, vel ubi ejus liquamen innatat. Quippe crassae sunt, & plusquam marinae, graves, ac pro assidua resiccatione amarae; unde merito veteres, inter quos Galenus, Paulus, & Oribasius, corporis sanitati adversari judicarunt, quoniam sensuum instrumentis nocent, & maxime oculos ledunt, caputque replent, & impense exsiccant. Hujusmodi sane erat fons Agrigentinus, quem *lacum* perperam vocat Solinus, inque ipso *oleum* supernatare scribit, quum non oleum, sed liquidum bitumen, quo, vice olei, utebantur Siculi, quin ejus natura bituminosa arguebatur ex eo, quod tradidit Strabo, quoniam nandi imperiti in eum demergi non poterant. Cujus rei causa bitumini palam adscribenda, quia idem in Asphaltite lacu Judaeae usuvenit, ut ἀκολύμβοι in eo fluitent, nec mergantur. Hunc Agrigentinum fontem Athenaeus ἐν τῇ Καρχηδονίων ἐπικρατείᾳ collocat. Ejus tamen oleum sive bitumen, adversus jumentorum morbos, & scabiem valere Dioscorides, Plinius, & Athenaeus adnotarunt: qua indole lacus Asphaltites etiam gaudebat.

VI. p. 275.

II. p. 42.

Expositis bituminis facultatibus, nunc de aliis elementis, quae in nostris etiam Thermis reperiuntur, differendum est, & in primis de nitro.

De Morb. p. 1057. Hippocrates adhibuit τὸ λίτρον Αἰγύπτιον, *Aegyptium nitrum* ad conceptum, ſimul cum coriandro, & ſuccino compactum; necnon in clyſteres inſerebat cum melle, oleo, aliisque remediis, quibus etiam ſuppoſitoria formabat, quae Graece Βαλάνοι, πρόσθετα dicuntur. Apud Galenum invenitur pariter nitri uſus, quod ſiccare, ac digerere ex ſua calida natura tradit; quin ſi intro ſumatur, multo magis quam ſal, craſſos, tenuesque humores ſolvit, atque attenuat.

De Simpl. vict. 11.

Hinc laudat multum, & effert νίτρον Βέρνικον, vel Βερνικάριον, *nitrum Berenicium*, aut *Bernicarium* veluti optimum, & maxime molle, ac tenuium partium conſtans, ducta ut opinatur ab oppido Trogloditarum Berenice appellatione. Unde quondam in Aegyptum advectum Plinium *Aegyptium* vocaſſe exiſtimo, & Galenum ἐν τῷ περὶ εὐπορίστων *Alexandrinum*. Doctiſſimus autem Salmaſius cenſet a Beronice, quod Antiquis fuit electrum, ſive ſuccinum, hoc genus nitri rubri ſic dictum eſſe, quod ſane Hippocrates adhibuit, & quandoque Aegyptium, quandoque rubrum nuncupavit. Λίτρον dicebant Attici, quod alii νίτρον. Hoc quoque Latini uſurparunt, qui lymphas dixerunt, quas Graeci νύμφας, unde lymphatici οἱ νυμφολήπτοι. Namque Graeci λ pro ν in multis ſaepiſſime confundebant.

Mul-

Multae, vel potius innumerabiles ſunt medicinae, in quas nitrum ingreditur, ab eodem Plinio memoratae, inter quas praecipuum obtinent locum illae, ubi cum fico illitum, vel decoctum in paſſo ad dimidias partes, oculorum cicatrices, & genarum ſcabrities extenuat, aut cum melle injunctum viſus claritatem adfert, ut experimento comprobatur. Nitrariae enim ſalubres, viſusque incolumitati utiliſſimae; nam in eis foſſores non lippiunt. Prodeſt quoque dentium dolori, ſed ſi cum pipere in vino colluatur, aut cum porro ſit decoctum: denique vitiligines albas cum cimolia creta, atque aequo aceti pondere in ſale illitum emendat, ac pruriginem alumine permixto tollit. Ex cinere, nitro, & cimolia veteres fecerunt lixivii genus, quo in balneis ſordes eluebant. Ariſtophanes XXXI. 10.

Ὁ πονηρότατος βαλανεύς, ὁπόσοι — In Ran. 723.
Κρατῶσι κυκησιτέφρᾳ
Ψευδονίτρᾳ τε κονίᾳ
Καὶ Κιμωλίας γῆς.

Balneator omnium peſſimus, quotquot
Tractant turbantem cineres,
Salſoque nitro miſtum pulverem,
Et cimoliam terram.

Ad quae verba Scholiaſtes ἡ Κιμωλία νιτροποιὸς γῆ ἐξ ἧς τὸ νίτρον, *cimolia terra nitrifica, ex qua nitrum*. Hinc

in Dionyſium Euſtathius ἡ κίμωλος περὶ κρήτων, ἐξ ἧς ἡ κιμωλία γῆ, ἐπιτηδεία εἰς νίτρου κατασκευήν; *cimolus circa cretam, ex qua cimolia terra apta ad nitri praeparationem*. Hinc ματρωνικὸν νίτρον, vel παρθένιον, quo matronae, & virgines in balneis utebantur. At nitroſae Thermae magni uſus veteribus fuere adverſus varia morborum genera, uti ex Galeno liquet, qui ſummis laudibus nitroſas balneas extollit purgandis meatibus omnibus efficaciſſimas. Quin & Theſſalus, qui ſub Neronis imperio vixit, atque Themiſonis methodicam ſectam non minus amplificare, quam & ejus principia mirifice emendare ſtuduit, nullum eſſe praeſtantius medicamentum hepaticum, aut nephriticum, vel pleuriticum cenſebat, quam nitroſas aquas, quem immerito redarguit Galenus. Plinius item commendat balneas nitroſas etſi arte factas adverſus papulas, puſtulasque: imo podagricis in balneis nitri uſum, atque atrophis, opiſthotonis, & tetanis ſumme proficere tradit. Demum ejus ſpuma, vel flos, quam Graeci ἄνθος νίτρου vocant, Vitruvius *nitri florem*, in lavacris olim plurimi fuit uſus, ut paullo ante diximus.

De Simpl. med. facult. v. 12.

v. 13. xxx. 10.

Nitroſae aquae potiſſimum a ſalſis diſtinguuntur, quod amarorem ipſae ſapiunt potius, quam ſalſuginem, & quo magis purum continent nitrum,

eo

eo ſunt amariores. Hae quidem ob ācres, ſubtilioresque ejus particulas, quas in ſe fovent, denſum, atque viſcidum ſanguinem, ceterosque corporis humores incidunt, & exſtenuant, vimque habent egregie detergendi. Interdum vero laſſant alvum, urinas cient, & ſudores evocant: mirum in modum renes purgant, eosque vehementer roborant, pulſis, atque ſolutis arenulis; imo & contra veſicae calculos mirificam praeſtant opem. Hinc ſi adſtringenti aliqua ſubſtantia praeditae ſunt, aut minutiſſimis ferri particulis affluunt, veluti in noſtris Thermis experimur, partibus nutritioni addictis, inteſtinorum levitati, & hepati celerrime ſubveniunt. Praecipuam vero facultatem nitratis aquis in purgationibus adtribuit Vitruvius poſt Theophraſtum, qui poſtremus in libro περὶ ὑδάτων Nili aquam ventrem ſolvere dixit ob μίξιν λυτρώδη, *admixtam quandam vim nitri*. Ap. Athen. II. p. 42.

Ejuſmodi naturae recenſentur aquae Cutiliae in Sabinis, etſi frigidae, ab antiquis Scriptoribus celebratae. Hae nimirum ob praeclaras virtutes in uſum quoque medicum fuerunt receptae, ac tanta celebritate, ut pro urbis vicinate, aëriſque ſalubritate, & ipſius agri amoenitate plerique Romanorum civium atque ampliſſimi etiam ordinis in ipſis aeſtivare quotannis conſueverunt. Corpus

nam-

Plin. xxxi. 6. namque depurgant, ac ſtrumarum minuunt tumores, utileſque potui, necnon aptiſſimae ſtomacho, nervis, & univerſo corpori. Denique Celſus in vulgatiſſimo, peſſimoque ſtomachi vitio, quod
IV. 5. *reſolutio* dicitur, & qui cibi non tenax eſt, aptum, ac ſalutare ſuadet *conſiſtere in frigidis, medicatiſque fontibus, quales Cutiliarum*. Quibus adde apud viam Flaminiam ſub praeruptis Apennini jugis inter Iſaurum fluvium, & Ariminum medicatarum aquarum ſcatebras, quae quoniam nitroſae, ſalſulae cum modica ferri ſubſtantia, collatis experimentis, vacuandi vim per alvum, & per urinas poſſident, ſicque omnium membrorum nutritionis vitiis utilimae: hepatis, inteſtinorum, ventriculi meatus, renes, uterum, ac veſicam purgant. Exiſtunt viciſſim in Bajana, atque Puteolana regione multae nitratae aquae, quae potari ab aegrotis ſolent, & valentiſſimae ſunt renum affectibus diſcutiendis, quoniam ductus urinarios aperiunt, abſtergunt, ac firmant; arenulas, mucoresque hiſce in locis haerentes expellunt, & mulierum fluores ex uteri imbecillitate ortos egregie ſiſtunt.

Alias quoque, & ſuperioribus longe praeſtantiores vires ac utilitates Thermae noſtrae poſſident ob quandam etſi tenuiſſimam ferri ſubſtantiam,

quam

quam ex terrae viſceribus, per quae tranſeunt, ſecum rapiunt. Antiquitus ſane, ferratae, ac naturales aquae quibus morbis proficere poſſent, medicis non erat ignotum. Oribaſio enim compertum, ipſas ventriculum, & ſplenem juvare vel Caelio Aureliano, qui aquas ferrugineas, quas Graeci σιδαρίζουσας dicunt, pro elephantiaſi adhibendas jubet. Arabes poſtea laudibus eas ſummopere extulerunt, nam quotidie aliqua cum moderatione epotae viſcera fortiter corroborare ſolent, ut Raſes & Avicenna, prima medicinae Arabicae lumina, opinantur. Sic & Meſues in ſputo ſanguinis aquam ex minera ferri bibendam praecipit. Quin ubi deſunt naturales, aquas praeſcribunt arte ex chalybe praeparatas in potationibus, hoc eſt in quibus ignitus chalybs ſit pluries extinctus, quoniam pluribus vicibus reiterata ejus extinctione validiores fieri chalybeatas neceſſe eſt.

In Synopſ. r. 29.

De Morb. chron. lib. r. p. 492.

Has quidem antiquitus in medicina fuiſſe, auctor eſt Plinius: *Calefit etiam ferro candente aqua in multis vitiis, privatim vero dyſentericis*, ferri namque natura prae aliis exſiccat, atque adſtringit. Medici utuntur communiter hiſce chalybeatis aquis in membrorum omnium nutritionis vitiis a tabida praeſertim intemperie natis, in quibus & mediocri refrigeratione & maxime robore opus eſt:

xxxiv. 16.

im-

imbecillia namque & relaxata membra, ac viſcera
v. 48. confirmant. Hinc Dioſcorides aquam vel vinum commendat, in quod candens ferrum ſit demerſum: vaſa nimis laxa conſtringit, quibus elaſticam vim deperditam reddit; quam ob rem chalybs laxatis virginum morbis optime conducit, nec non primis viſceribus maximam vim conciliat, ut bonus conficiatur chylus, inque vaſa lactea propella-
xxiv. 16. tur. Fuit etiam ferri rubigo in remediis, quae ut Plinius refert, *deraditur humido ferro e clavis veteribus*. Quapropter quoniam vi pollet ligandi, ſiccandi atque repurgandi, emendat alopecias, ac peropportuna ad ſcabrities genarum, puſtulaſque totius corporis, atque ad ſcabiem ſanandam cum cera, & oleo miſta, qua podagra etiam lenitur. Squama vero ferri ex acie, aut mucronibus deraſa veluti acriori vi, quam rubigo, adverſus oculorum epiphoras aſſumebatur: ſanguinemque ſiſtit, quum vulnera maxime ferro fiant, reprimit etiam mulierum profluvia, atque hemorrhoides compeſcit. Componebatur ex ea, ac cimolia creta, & cera acre ceratum quoddam purgandis ulceribus fiſtuliſque optimum.

At multiplices amplioreſque vires ferratae aquae natura ſua erumpentes largiuntur: opitulantur enim obſtructis, atque ſpleneticis, non

alia

alia ratione, nisi quoniam exsiccant, villosque viscerum densant atque adstringunt, quodque reliquum excrementi remanet, foras ejiciunt. Probantur quidem tam in potationibus, quam in balneis, nam quae abstergendi praeditae sunt facultate, cuiusmodi multae reperiuntur in Italia, evacuant per alvum, & per urinae meatus, atque utilissime sorbentur in hepaticis, renum, & vesicae vitiis, quin & vomitioni obnoxium ventriculum firmant, intestinorum levitatem, ac omnem fluxum emendant, juvantque in hydropis principio, nam viscera firmant. Tandem mensium muliebrium fluores inhibent, involuntariam feminis excretionem, nocturnasque pollutiones corrigunt, albidam, & quae laxatis renum habenis continuo effluit, diabetem firmant. Verum ferratae aquae, ubi in balneis adhibentur, praestantiorem afferunt opem. Quippe tremulos tetanicos, ceterosque paralyticos adjuvant; necnon podagricis non confirmatis, iisque, qui Isciade vexantur, & articulationibus laborant, efficacissime subveniunt. Antiquissimum in Hetruria balneum *vesicatorium* dictum a Scribonio Largo, quem Galenus laudat, inter eximias proprietates, quibus pollet, salubrius habebatur vesicae morbis persanandis. Bajanae item, quae ferrugineae sunt naturae, ebibitae, jecori,

ſpleni, ventriculo, renibus, utero, omnibusque internis malis a relaxatione partium ortis eximie opitulantur, imo & pulmoni etiam conferunt, quoniam aliquid bituminis participant, unde ſiccant, abſtergunt, ac roborant.

Quod ſupereſt, aliqua de ſalis communis effectibus, quo Thermae noſtrae abundant, in medium proferamus. Sal Aegyptium frequentiſſime praeſcribit Hippocrates ad foetum mortuum expellendum, ac ventris ſanguinem educendum cum teſtudinis marinae cerebro, & croco item Aegyptio in glandes efformatum, vel ſuffitum. Alibi ἅλξ Θεβαϊκον, ſalem Thebaicum adpellat uteri affectionibus, atque mulierum menſibus evocandis peropportunum. Sales omnes adſtringunt, exterunt, purgant, reprimunt, extenuant, ſiccant, atque exedentia, & excreſcentia compeſcunt.

De Morb. mul. 1. p.626.

De Nat. muleb. p.582. & de morb. mul, 11. p.667.

Aquarum ſalſarum utilitas, ac praeſtantia veteribus Medicis haud ignota fuit, quas Galenus iis ſuadet, qui obeſitate onerantur, atque ideo praedicat illas, quae in Lesbo oriuntur, & a Mytilene non minus, quam ſtadiis quadraginta diſtant, traditque viribus & colore tales eſſe, quales fiant, ſi quis florem ſalis aquae marinae miſceat. Quin & hydropicis optimas, reliquisque etiam tumefactis idoneas fatetur. Oribaſius quoque aquas ſal-

De Meth. med. XIV. 15.

sas affirmat capiti & thoraci ab fluxione infestato, itemque stomacho perhumido adjumento esse; necnon Caelius Aurelianus, qui saeculo quinto post Christum natum floruit, summopere conducere paralyticis ait, si marinis natationibus utantur, quas etiam probat in elephantiasis curatione. Denique in vesicae passionibus aquas salsas laudat, & quae nitri habent qualitatem.

In Synop. t. 19.

Reines. var. lect. III. 17. p. 651.

De Morb. chron. II. 1. p. 361. Amst. 1722.

Lib. I. p. 492. v. 4. p. 576.

Antiquorum vero nullus aquarum marinarum in medicina magis excellentiam patefecit, quam Plinius, ubi veterum medicorum, quorum scripta compilavit, sententias recitat, valde valere inquit adversus nervorum vitia, quoniam natura sua calefaciunt, itemque fracturas, ossaque contusa ferruminare. At quoniam corpora nimium siccant, praestantissimum judicat, & frigido mare uti. Veteres namque Medici maris aquam per se efficacissimam discutiendis tumoribus putarunt, atque si illa decoqueretur hordeacea farina, utilissimam esse parotidis. Praescribebatur etiam olim in potionibus ad purganda corpora, bilemque atram, aut sanguinem concretum reddendum, quin & in quartanis bibendam dedere, ac in tenesmis, articularibusque morbis. Tandem in clysteres marinam quoque infundebant tepefactam ad tormina, & choleram. Quapropter errasse videtur

XXXI. 6.

Hippocrates, qui eos fortiter objurgat, qui ad evacuandam alvum aquis falsis utebantur: locum Hippocratis sic Latine fecit clarissimus Foësius. *At vero de aquis salsis propter imperitiam falluntur quidam quodque alvum solvere existimentur, quum maxime alvi dejectioni repugnent. Indomitae enim sunt, & coqui nequeunt, proindeque ab eis venter potius adstringitur, quam eliquetur.* Cujus sententiam rejecisse videtur Asclepiades, qui *aetate Magni Pompei orandi magister* ad medicinam se convertit, nam quibusdam morbis aquae marinae potum jubebat veluti in sacro, ut Celsus indicat, *Asclepiades quoque salsam, & quidem per biduum purgationis causa bibere cogebat, iis, quae urinam movent, rejectis.* Vinum aeque τεθαλατωμένον *marinum* saepe aegrotis ad bibendum dabat, ut ita melius ad interiora ob acutas salis particulas penetraret, atque vehementer poros aperiret. Graeci quidem quoddam clarissimum vinum aqua marina mistum, quod Plinius *Bion* sive *Biaeon*, vocasse tradit, habuerunt ad plurimos valetudinis usus excogitatum. Hinc Plautus

De aer. loc., & aq. p. 284.

Plin. xxvi. 3.

v. 24.

xiv. 8.

In Rud. act. ii. 7.

Quasi vinis Graecis Neptunus nobis suffudit mare:
Itaque alvum prodisparavit nobis salsis poculis.

quin non modo maris aquas ad expellendas innumeras aegrotationes, cum in potu, tum in balneis

neis uſurpabant, verum etiam navigationem praeſcribebant, quam phthiſi affectis imponere mos fuit, aut ſanguinem egerentibus, unde Aegyptum navigabant Romani non propter ſe, ſed propter longinquitatem navigandi.

Salſae igitur aquae in balneis vehementer exſiccant, adſtringunt, contrahunt, abſtergunt, purgant, cutim emendant, humorum excrementitia auferunt, & nimiam corporis craſſitiem longo uſu extenuant. Scabioſis, leproſis, elephantiacis, maculatis, vitiliginoſis ſummopere proficiunt: artuum extuberationes prohibent, inflationes, atque aedemata diſcutiunt, unde podagricis, & articulorum malis medentur. Hipochondriorum diſtenſiones mitigant, ventris, inteſtinorum, ac uteri flatus diſterminant, albos mulierum fluores, ac vulnerum ulcera purgant, & demum oris exulcerationes ſecundum Dioſcoridem collutae leniunt, gingivarum tumores compeſcunt, dentium foeturam tollunt, eosque a putrefactione, & corroſione vindicant.

Diverſa tamen eſt ipſarum ratio, quum intro abſorbentur, quoniam tunc laxant alvum, purgantque inteſtina, praeſertim iis, qui eas bibere non conſueverunt, contra vero aſſuetis alvum ſiccant & adſtringunt, largiterque epotae jejuno cor-

po-

pore, ut Rasis opinatur, eximie laxant; acri enim sua qualitate irritantes vim expultricem possident, atque pondere ipso comprimunt, & alvum dejiciunt. Potatio item salsarum aquarum continua praecipue in esculentis multum nocumenti affert, etenim, ut Dioscorides animadvertit, caput implet, salsos, densosque gignit humores, ad scabiem, & pruritum corpus disponit, & sanguinem corrumpit: dysenteriam porro excitat, vel tabe afficit, quod plerisque navigantibus, qui aquarum dulcium penuria marinas bibunt, contigisse ex Galeno constat, atque ex Vitruvio colligimus Troezene Cariae oppido salmatis assuetos potibus, & cibis, quoniam dulcibus carebant aquis, tumoribus, vel pedum vitiis laborasse.

Cognitis igitur peculiaribus Thermarum nostrarum elementis, viribus, ac utilitatibus, facillime intelligi potest, quantum salubriores ipsis pharmacis sint adversus innumeras, multiplicesque corporis aegritudines: praecipuae enim ac insignes medicamentorum proprietates, quibus universa non minus theoria, sed & praxis medica innititur, ad hoc potissimum referuntur, ut obstructiones eliminent, infensas, ac noxias mitigent materias, deperditum fibrarum robur fulciant, ac denique inutilia e corpore proscribant. Quae cuncta ipsae

Ther-

Thermae noſtrae melius exequi poſſunt. Quippe ob elaſticum, aethereumque ſpiritum, quo imbutae ſunt, atque alkalini ſalis mixtionem, & ob ipſius humoris copiam, ac pondus, liquores in tubulorum alveis ſtagnantes incidunt, ac eluunt, unde obſtructiones diſſipant; fluidi enim corporis motus magis in minimis, quam in magnis vaſis promovetur, nam ibi niſus ſolidarum partium major exiſtit, quum parvam habeant diametrum: nam ex hydraulicis conſtat, proportionem ſolidi ad fluidum contentum eo magis augeri, quo minora fiunt vaſa; imo ipſius ſalis alkalini indole acidos, atque auſteros in primis viis exiſtentes ſuccos obtundunt, ac temperant, viſcidumque ſanguinis mucum diſſolvunt, atque crudos, & incoctos diluunt humores. Quin & ferri particulis ſolidarum partium labefactatam, ac corruptam vim reſtituunt: omnisque generis excretiones egregie promovent per univerſa corporis emunctoria, per alvi, veſicae, cutis, ſalivalium ductuum vias, ſuperfluas, & impuras extrahunt ſordes, absque virium oppreſſione, cunctisque denique corporis viſceribus, & organis opitulantur: quae ſane non efficiunt cetera praeſtantiſſima medicinae remedia. Uſus quoque Thermarum in balneis ſummopere ſanitati conducit, nam duros tumores emolliunt,

cu-

cutis meatus aperiunt, partesque corporis nervosas, ac musculosas, quae ob lentum humorem ibi stagnantem proprium amiserunt robur, mirifice firmant, & spasmo, ac rigore vexatos levant, unde iisdem de causis paralyticos, ac omnes, qui contractas, imbecillas, languidas, & tumidas habent partes, adprime juvant. Praeterea foedos cutis morbos extergunt, scabiem resiccant, impetiginem tollunt, & omnia hujus generis mala exterminant.

Demum, ne quidpiam reliqui desideretur, quod ad integram Thermarum nostrarum commendationem pertinere videatur, rationi absonum non est, aliquid de alio quodam fonte, qui non longe scatet ab iis, quos jam memoravimus, cursim, & breviter attingere. Is enim eo magis summo in pretio, atque in aestimatione habendus est, quoniam praestantissimus in Gallici morbi curatione ab omnibus experitur, ac praesertim prodest, & frequentatur a militibus, qui hac aegrotatione corripi solent, non minus in ejus aquis absorbendis, quam corpore saepe abluendo: unde ab incolis communiter *luis venereae fons* hodie nuncupatur. Summopere exoptabam exactam de hoc lavacro, uti de aliis feliciter obvenerat, analysin habere: qua de re pluries Excellentissimum Domi-

minum Comitem Hamiltonium obſecravi, qui a CAROLO VI. Imperatore ſemper Auguſto illius loci cuſtodiam imperiumque tenet, ut eam diligenter ab aliquo peritiore Medico illuc effici juberet, attamen vel ob incuriam illorum, qui medicinam ibi exercent, vel propter bellum, quod adverſus Scythas a Germanis in praeſens agitur, obtinere nullo modo potui, ut quibus conſtent corpuſculis, qualive praeditae ſint facultate hae Thermae praecognoſcerem.

Non deſunt tamen nobis ex variis, diverſisque argumentis conjecturae, rationesque ductae, ex quibus rerum ſummam deducere facillime valeamus; ac in primis cogitandum eſt, haſce lymphas temperatae caliditatis eſſe, quae defluxiones ideo excitare nequeunt, neque humores incendere poſſunt: ob quam Gallico morbo laborantes earum uſus adjuvat, & in potibus, quibus hepatis aduſtio refrigeratur, & in balneis ſiccando ulcera, atque impetigines ex ipſo ortas eluendo. Lues quidem venerea hepar, ut plurimum, veluti primariam quamdam arcem adurere, ac evertere ſolet, indeque tanquam tyrannus cunctam ſanguinis, & humorum omnium compagem de more labefacit, atque ideo multiplices, deteſtabilesque in aegrotantibus producit cruciatus non ſolum pro morbi

ſaevitia, ſed & pro aegrotorum temperamentis, ac loco partium, quas afficit. Quamobrem a calido, & ſicco naturaliter balneo nil in hoc aegrotationis genere conſequi poteſt adjumenti. Nam morbus ipſe calida affectio eſt, & quaedam hepatis inflammatio, quin cum materia, ex qua ingeneratur, phlegma ſit craſſum, & contumax, ſolet, hujusmodi Thermarum uſu, magis obdurari ob maximos ſudores, quos abunde elicit, uti experientia detectum eſt.

Et quidem praeteritis ſaeculis, quoniam vix comperta erat tantae contagionis immanitas, ſaepe eveniebat, ut qui ſeſe calidiſſimis Thermis commiſerant, raro aliquam ſenſerint utilitatem. Quamplurimi enim aut inflammatione, aut artuum doloribus, vel tandem febribus fuerunt correpti, plerique in ipſis lavacris periiſſe viſi ſunt, unde coeperunt Medici eas deteſtari, & Gallico morbo oppreſſis denegare; ab eis enim humores liquari compertum eſt, meatusque patefieri, & juncturas humefaciendo laxari facilesque reddi defluxionibus recipiendis. Id ipſum etiam contingit in balneis, quae nimio caleſcunt ſulphure. Validiſſimae quippe ſunt in producendis iisdem effectibus, uti ſaepiſſime fuit obſervatum. Ex quibus clariſſime deducitur hunc fontem in noſtris Thermis Dacicis,

cis, de quo nunc ſermo habetur, non niſi tenuiſſimas ſulphuris particulas poſſidere, & ut facile perſuadeor, multum reſinae, & nitri in ſe immixtum continere, quo hujus morbi cauſas expellere poſſit. Hinc in errorem Fracaſtorius celeberrimus medicinae profeſſor illapſus eſt. Fatetur enim nihil, aut parum Aponenſia balnea in oppido Aponi ſita, & Porretana in Apennino in finibus Bononiae, atque Piſtorii iis prodeſſe, qui fortiter luem Gallicam patiuntur, non alia ex ratione, niſi quia leviora haec ſunt. Ignoravit ſane legitimam horum fontium indolem, nam utpote natura ſua calidiſſimi nocent potius, quam proſunt hoc malo aegrotantibus; tenaces enim exiccant humores, eorumque decubitus gignunt. Contra Calderianae Thermae, quia mitiores, ac minus calidae exiſtunt, idcirco utiles obſervantur, ſic dictae a Calderio vico, qui minus decem millia paſſuum ad ſiniſtram Italiae regionem a Veronenſi civitate diſtat: quae excellentiſſimae ſunt non modo noſtris temporibus, verum etiam antiquis, hodieque maxime celebrantur ob aëris ſubtilitatem, agrique amoenitatem. Effluunt denique omnium conſenſu aquam claram, ac tepidam, ſapore, atque odore non ingratam, quae quasdam ferri in primis continet, atque etiam ſalis, nitrique particulas:

unde falſula ſentitur, & tandem eſt pertenui ſulphuris parte referta, ex qua tepida fit; itaut ob ſuae ipſius naturae praeſtantiam in uſu eſt apud Veronenſes Medicos in potationibus, balneis, ac fomentis.

Memorantur quoque a Scriptoribus plurima alia lavacra variis in locis ſita, quae ob minerales particulas, quibus abundant, non modo opem diverſis morbis adferunt, ſed omnibus etiam qui lue venerea laborant, opitulantur. Hujusmodi eſt nobiliſſimum lavacrum ferrugineae naturae, quod in pago Avinionis in agro Senenſi juxta viam Romanam xx. lapide reperitur. Conſtat enim multis aquarum ſcatebris, quae ex diverſis mineris manare videntur, nam diverſas praeſeferunt qualitates, ac frigidae, calidae, craſſae, & tenues experiuntur: atque alios inter morbos ulcera antiqua, foedas id genus cutis affectiones, ac luem item Gallicam perſanant, ſi moderatione aliqua adhibeantur. Laudantur praeterea pro hoc malo Albulae Thermae, quae adverſus calidas viſcerum intemperantias, ac praecipuae hepatis, & quae ex Gallico oriuntur affectu, valde conferunt in balneatione, & in potu propter inſignem, quam obtinent ſiccandi qualitatem, atque ideo reprimendis humoribus, ac perſanandis ulceribus, quae ex

de-

defluxione fiunt, utiliſſimae ſunt: Poſtremo ferratae aquae, quae in civitate Neapolis ad oram maritimam erumpunt, unde eminet collis quidam Lucullanus olim dictus, ad expellendum e corpore virus peſtiferum, quod a Gallico morbo progignitur, quotidie a Neapolitanis Medicis praeſcribuntur, ea tamen methodo, ut aegrotantes pluribus iteratis crateribus eas matutina ora in media aeſtate bibant, tunc enim temporis majori vi abſterſoria pollent. Abſtergunt enim mediocriter ac per urinam potiſſimum ebibitae morbidas excretiones ejiciunt, quamquam per alvum, quoque nonnullis vel per vomitum proficiant. E duobus autem fontibus fluunt nihil, aut parum inter ſe diſſimiles. Utraeque tamen frigidae ſunt aeſtate, hyeme vero tepidae. Maranta qui acute admodum, & concinne primus harum aquarum naturam inveſtigavit, aliquam in eis ſulphuris portionem, & ferri detexit.

Graviſſimis hiſce in morbis curandis uti aquis medicatis, absque quadam corporis praeparatione, diaeta, atque methodo aptiſſima, peritiſſimi medicinae profeſſores ſaepius noxium, & nonnunquam periculoſum experti ſunt. Quam ob rem ante omnia neceſſe eſt corpus ipſum diligenter praemunire, primasque vias blande purgare, ne aquae

clau-

clauſo per villoſam tunicam tranſitu , ſtagnent , corpusque tumidum reddant , & nauſeam , ac vomitum moleſtiſſime promoveant . Inſuper attentiſſime in balneationibus cavendum eſt , ut aridi , extenuati , febre , inflammatione , aſthmate , hemophtiſi , aliisque calidis morbis laborantes eis prorſus abſtineant ; imo ſi corpus depreſſum ſit , ante ipſam balneationem optimis , ſanisque alimentis nutrire , ac reficere oportet : ac ſi pravis humoribus abundat , purgetur catharticis , & venae etiam ſectione , ſi opus eſt . Praeterea imbecilles ſemel in die lavari poſſunt per horae dimidium ; firmique contra ad horam integram , atque ſi morbus poſtulat , & vires ferunt , bis in die laventur ; mane una , vel altera hora ab ortu ſolis , & veſpere quatuor , quinque , vel ſex horis a prandio , hac tamen diligentia , ut veſpertinum balneum matutino brevius ſit . Tandem aegri balneo egredientes linteo calefacto obvolvantur , mox clauſum cubiculum intrent , ac in lecto bene tecti collocentur , ut ſudare poſſint : ſudore deterſo dormiant , deinde ambulent , & a frigido ſe abſtineant aëre , cibum , potumque morbo congruum , & moderate ſumant ; alvum quotidie apertam habeant , atque cucurbitulis , & ſcarificationibus utantur , emplaſtra vero , & oleoſa lenimenta fugiant ,

giant , quae cutis poros replent ; & Thermalis aquae expirationem valde ac ſaepe cum periculo impediunt.

In potationibus etiam adhibenda quaedam ratio , quae neceſſaria eſt , ut hominibus variis aegrotationibus vexatis ſuccurratur . Quapropter ſummopere optandum foret , ut aquae epotae , in ſanguinem , humoresque infundi poſſint , ac permixtae , per univerſos corporis meatus libere , ac facillime labi , & demum per omnes excrementitios ductus intro expelli valeant : quumque id fieri nequeat in corpore , ubi ſanguis abundat , expedit, ut inciſa vena ſuperfluus mittatur : qua in re ſummo opus eſt conſilio . Namque non ſolum aegrotorum vires examinandae , atque corporis habitus (intereſt enim inter valens corpus , & infirmum , inter tenue & obeſum) ſed conſiderandum quoque eſt morbi genus . Praeterea ad exoptatam curationem feliciter impetrandam confert , ut perſpiratio libere , & expedite fiat , eaque de cauſa Thermarum potum aeſtivo tempore inchoare juvat , ac mox omittere , quum bruma ſupervenit . Urinae item conſiderandae , ex quibus ſaepiſſime aegrotantium ſtatus , & conditio pernoſcitur . Animus tranquillus , omnibusque curis vacuus ſit , iis, qui ad medicatas aquas accedunt , atque exactam

vi-

victus rationem obſervent, omniaque ſtudioſe evitent, quibus ſalutaris earum progreſſus impediri, & perturbari poſſit ciborum maxime varietatem, quae morborum eſt ſcaturigo, ut dixit Antiphanes Delius Medicus τῶν νόσων αἰτίων τῶν ἐδεσμάτων πολυειδίαν. Quam ob rem aptum, & maxime congruens videtur in noſtris Thermis, idoneum, & peculiarem conſtitui Medicum, ut data opera aegrotis, qui aut balneum, aut potum adhibent, omni diligentia, ac cura praeſto ſit, modumque iis utendi praeſcribat, & primo ipſarum vires, morbique qualitatem inquirat, ut ſi aliquid inopinate accidat, ſtatim ſuccurratur. Solent enim varia, ac moleſta his, qui Thermalibus aquis utuntur, contingere, quae aliis valentiſſimis remediis arcere convenit; unde Medici praeſentia utilis, ac neceſſaria cenſetur, qui non ſolum aquarum naturam ante ſcrutatus fuerit, verum etiam aëris temperiem, locique ſitum, atque indolem ſedulo obſervarit: mox ſingulis annis diligens Medicus Thermarum analyſin iterum ac ſaepius conficiat, quoniam nonnunquam evenire ſolet, ut per alios telluris meatus fluant, ac diverſa, & noxia metallorum effluvia abſorbeant, quae ipſas inficiant, hominibusque adverſa progignant.

Apud Clem. Alex. 11. Paedag. p. 60.

Et ſane apud veteres non alia ratione conſtitue-

ban-

bantur multiplicis muneris Medici, nisi ut melius, ac consulto mederi quibusdam peculiaribus morbis possent, quibus alicujus status, & professionis homines laborare solent. Hinc apud eos audiebantur, non tantum qui quasdam corporis partes solummodo curabant, vel certi doloris sanitatem pollicebantur, veluti *ocularii*, *dentarii*, *auricularii*, aliique, sed & qui alicui collegio, vel hominum coetui inserviebant, ac in primis qui nomen militiae dederant, unde OPTIO VALETUDINARII in Pandectis, & in marmoribus. Romani quippe militibus aegris, ac vulneratis valetudinarium praeficiebant, quem sibi ministrum, & adjutorem Praefectus castrorum optabat, unde ei nomen: quive exercitu ad proelium prodeunte *valetudinarios*, ideſt aegrotos, qui manebant in castris, *inspiciebat*. Hos Medicos posterior aetas primum *deputatos*, deinde *scribones* vocavit, quas voces Graeci quoque suas fecerunt. Rectius autem πολεμικοὶ *militares* nuncupantur; nam Medici, qui exercitum sequuntur & ipsi πολέμιοι *militant*, quamvis enim pugnam non capessant, tamen pugnae causa comparantur. Clarius Modestino *militum Medici* dicuntur.

Leg. 1. π. de extraord. cognit.

Leg. 6. π. de jur. immunit.

Apud Grut. ccccxxxi. 9.

Leg. 13. π. de re milit.

Leg. 33. π. ex quib. caus. major.

Erat autem in castris Chirurgus militaris, cujus munus circa duo praecipue versari ait Hippocra-

De Medic. p. 22.

tes χειρεγίλω κατὰ στρατίλω γινομένων τρωμάτων, & ἐξαίρεσιν τῶν βελέων; *ut & vulnera curet, & tela extrahat*, additque eam Chirurgiam a Medicis urbanis ignoratam non aliter quam militando posse comparari τὸν μὲν ἓν μέλλοντα χειρεργεῖν, στρατεύεσθαι δεῖ καὶ παρηκολουθηκέναι στρατεύμασι ξενικοῖς. *Is igitur, qui hanc manus operam exercere cupit, ut externos exercitus sequatur oportet*. Quod verbis docuit, exemplo etiam comprobavit. Tychoni enim (quae urbs Thraciae Stephano est, & ab Herodoto memoratur) ὑπὸ καταπέλτε *catapulta* in pectus icto, adstitit Hippocrates, sed manum admovere noluit, curamque omnem extrahendi de pectore vulnerati hastam Medico militari permisit non invitus. At praeter vulnera, contusiones, luxationes, fracturas, pluribus aliis causis obnoxii milites sunt, qui ideo clinicorum operam exposcunt, unde hac ratione Medicus clinius militaris in exercitu itidem extabat, qui arte sua quoscumque expellebat morbos, in quos vulgo milites incidere solent, frigore, vel calore, labore, mutatione, locorum situ, aëris intemperie, corporis curandi negligentia, aut alimentorum improbitate. Hinc in marmoribus habetur MEDIC. LEGIONIS, vel MEDICUS COH. Et in Cod. Justinianeo *Medicus legionis secundae adjutricis*.

Hipp. lib. v. Epid. p. 1161. & vii. p. 1240. ἐν τῇ πολιορκίῃ τῇ περὶ Δάτον, *in oppugnatione circa Datum*

DCXXXIII. v. CVIII. 4. Leg. 1. Cod. de profess. & medic.

Ha-

Habebant itidem Graeci quosdam Medicos Gymnasiis addictos, qui Athletarum diaetam curabant, eorumque munus erat scire quae cujusque motus, & exercitationis, pro sanitate tuenda, vel reparanda, vis ac potestas esset. Agebant praeterea alii peculiares in gymnasio Medici, qui Athletas, ubi ipsorum quispiam morbum nactus esset, curabant. Eorum quoque munus erat cavere, ne quis se exerceret crudus, de qua re ex redditi lotii colore judicabant. Hunc morem imitati sunt postea Romani, qui ludis gladiatoriis plurimum delectati Medicos statuerunt, qui gladiatorum curam gererent, ut Quintilianus in declamationibus, & antiqua quoque marmora testantur, in quibus legitur: Galen. de valet. tuend. II. CCCII.

T. AIAIOC ACKAHΠIAΔHC CEBACTOY ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟC IATPOC ΑΟΥΔ. ΜΑΤ. CCCXXXV. I.

Hi praeerant gladiatoribus in ludo contusis, unde iis potationes dabant, ut internos dolores sedarent, & praecipue potum lixivicum, quem Plinius tradit valere ad convulsa viscera, aut contusa lenienda. XXXVI. in fin. Sanabant vicissim eorum vulnera, quae in arena accipiebant, quum *vorsis armis*, ut Plautus ait, hoc est non amplius obtusis, sed acutis pugnabant; imo & victus rationem sedulo curabant. Apud Graecos quodam edulii genere ex faba, & ptisana concinnato gladiatores uti quotidie consueverant, ut testis est

De Alim. facult. 1. 19. Galenus. Opus enim gladiatorum non virili erat, sed dexteritatis, ad quam corpus flexibile perficiebant.

Supereſt tandem, VIR EXCELLENTISSIME, ut popularem errorem, ac veternum excutiamus, qui tenet plerumque eos, qui nullis alienarum artium adminiculis innixi, fortiter objurgant, vel cachinnis excipiunt alios, qui ad ſcribendum adgrediuntur de rebus, quas ab ipſorum munere, ac profeſſione alienas cenſent: ignorant enim vaniloqui iſti, ſe qui ludificant dictis delirantibus atra bile perciti, quantum diſciplinae, ingenuaeque artes inter ſe connexae ſint, quantumque adjumenti uni ex alia accedat. Qua de re ſalubrius ipſis foret Antyciras ſorbere meracas, ut ex animis inſaniam, quae tanquam caprificus inhaeret, penitus evellerent. Namque Tibi, VIR SAPIENTISSIME, plane perſpectum eſt, praeclariſſimos viros, etſi medicinam non exercuiſſent, ejus tamen ſcientia magnopere delectatos doctiſſima pervulgaſſe volumina. Hinc Salomon in rebus Medicis verſatiſſimus, atque Alexander Magnus, necnon Attalus Rex Pergami, qui de agricultura libros etiam ſcripſit, & Mithridates Rex Ponti, ſua aetate maximus, in reliqua ingenii ſui magnitudine, medicinae peculiariter fuit curioſus: de qua plura in arcanis ſuis ſcripta reliquit. Juba Rex utriusque Mauritaniae in volu-

luminibus ad Cajum Caesarem Augusti filium de Arabia plurima de rebus Medicis inseruit, ac tandem Romanorum Imperator Adrianus summopere fuit medicinae peritus.

Omitto & antiquissimos Poëtas, Homerum praecipue, qui primus doctrinarum, & antiquitatis Parens, innumera de herbarum virtute, ac proprietatibus, deque aliis, quae ad medicinam pertinent, versibus expressit, ut praeteream quoque Musaeum, & Hesiodum. Quid dicam de praestantissimis Graeciae Philosophis, qui medicinam illustrarunt? quid de Pythagora? qui sapientia clarus, volumen de herbarum viribus exaravit, quod a quibusdam Cleemporo Medico adscribebatur, verum ipsi pertinax fama, antiquitasque vindicavit. Sic quoque Empedocles ejus auditor, quam multa de medicina docuit, necnon Alcmaeon, Epicharmus, Eudoxus, Timaeus, Eraclitus, caeterique, qui Pithagorae scholae nomen dederunt, medicinam perfectissime studuerunt, atque Philosophiae adjudicarunt. Quid de Democrito summo Philosopho ac Geometra dicamus? qui non solum continuo animalium corpora secabat, ut eorum structuram cognosceret, unde *aetatem inter experimenta consumpsit*, sed peragratis Persidis, Arabiae, Aethiopiae, Aegyptique regionibus de herbis plura scriptis mandavit, deque ho-

Petr. Arbit. in Satyr. 88.

hominis natura, de peſte, de morbis, de prognoſticis, de diaeta, & tandem de aegrotationum cauſis differuit. Quid de Platone, Theophraſto, aliisque inter Graecos excellentiſſimis? qui quanquam a medicinae exercitatione abhorruiſſent, tamen de ejus materia ſcriptitarunt. Quod factum etiam a Romanis, quorum gravitas hanc artem exercere non permittebat. Hinc apud eos claruit Virgilius, qui Georgicorum libris multa Medica deſcripſit, atque Cornelius Celſus, qui de Medicina libros reliquit doctos quidem ac diſertos, omnemque doctrinam ex Hippocrate, & Aſclepiade hauſit. Ubi omittam Marcum Catonem, omnium bonarum artium magiſtrum, qui latine herbarum uſus fuit perſecutus, etſi paucis dumtaxat attingit, bovum etiam Medicina non omiſſa. Cajus inſuper Valgius eruditione ſpectatus, libros de eadem materia etiam confecit, ac ad Auguſtum direxit. Plinius denique ipſe, qui ſummis dignitatibus in republica perfunctus, perfectiſſime tamen Medicinam comparavit. Noſtra quoque tempeſtate vixit Alphonſus Borelus Neapoli natus, qui nunquam artem profeſſus eſt, at praeclara de Medicina ſpecimina memoriae, poſteritatique reliquit, necnon primus mechanicas leges in eam ſumma cum utilitate ac laude invexit: quae alii poſtea ampliſſime auxerunt. Nec ſilentio prae-

praetereunda clariſſima Oliva Sambuco, quae inter doctas, atque eruditiſſimas Hiſpaniae foeminas floruit. Sic enim praeclare de hominis natura ſcripſit, ut medicinam feciſſe videretur. Quin ante alios fortiſſimis argumentis oſtendit hominem plantae ſpeciem praeſeferre, atque ingenioſiſſime in utrisque ſolidarum partium, & humorum analogiam deſcripſit, quod poſtea demonſtravit ac perfecit Marcellus Malpighius vir clariſſimus, qui ſummo ſtudio, diligentiaque anatomen ipſarum in lucem dedit. Haec ſuper Dacicarum Thermarum praeſtantia, & utilitate diſſerebam. Quam ob rem, ut ea grato animo accipias, VIR EXCELLENTISSIME, Te magnopere rogo.

FINIS.

Die 3. Martii 1739.

IMPRIMATUR,

F. Joſeph Maria Chieſa Provicarius S. Officii Mantuæ.

VIDIT

Franciſcus Berſellus.

Menda, quae irrepſerunt in primam Diſſertationem ſic corrigito.

	Menda	Correctiones.
Pag. 35 v. 14	Φρεφεάχε	Φρεφεάρχε
41 v. 7	PRAF.	PRAEF.
46 v. 10	poſt liquet, adde. Ad victoriam de Dacis referendam Inſcriptionem Albae Juliae in Dacia repertam ſuſpicamur.	
46 v. 17	PRAFECTVS	PRAEFECTVS
50 v. 22	*Antonianam*	*Antoninianam*
66 v. 5	dele ſub	
67 v. 5	adde poſt Albae in palatio veteris Tabularii extabat, nunc vero ad ſcalas Bibliothecae Ceſareae.	
82 v. 12	*Nypharum*	*Nympharum*

Menda, quae irrepſerunt in ſecundam Diſſertationem ſic corrigito.

39 v. 20	corporis	corporibus
54 v. 12	dele ſunt	
64 v. 22	lamine	laminae
82 v. 11	Βερνίκιον	Βερένικιον
106 v. 22	clinius	clinicus